

El Manuscrito 404 del Colegio de Santa Cruz de Valladolid

(Continuación. Cfr. Archivo Teológico Granadino 34 (1971) 31-209)

EDICION DE
JOSE MARTIN PALMA

Quaeritur ultimo in hac materia utrum in homine sit naturalis appetitus ad beatitudinem.

In hac quaestione non tantum agemus de beatitudine naturali sed etiam de supernaturali. Pro cuius explicatione notandum est 1.º quod appetitus est duplex: quidam dicitur naturalis, id est, per modum inclinationis et ponderis, qui appetitus non dicit aliquem actum vel operationem, sed convenientiam et respectum rei ad terminum; alter dicitur appetitus elicitus, qui est actus per modum desiderii; rursus appetitus naturalis per modum inclinationis poterat dici naturalis, vel quia congenitus a natura vel quia respicit terminum naturalem, id est, ordinis naturalis in ratione termini; similiter appetitus elicitus dici potest naturalis, vel ex parte principii quia sit necesarius quoad specificationem vel quoad exercitium, aut ex parte obiecti quia, scilicet, habet obiectum naturale; rursus appetitus naturalis per modum actus tantum potest esse et reperiri in potentia appetitiva, quia illius tantum (84v) actus est appetitio, at vero appetitus naturalis per modum inclinationis est in qualibet potentia activa vel passiva respectu suae actionis vel passionis.

2.º Notandum est quod appetitus naturalis per modum actus necessario supponit appetitum naturalem per modum inclinationis, imo generaliter omnis actus naturalis praesupponit appetitum naturalem sicut et omnis passio naturalis praesupponit potentiam passivam naturalem. Ratio est aperta, quia si actus ipse vel passio est naturalis necesse est quod posse facere vel recipere talem actum sit pondus quoddam naturale.

His suppositis, ratio difficultatis est quia videtur esse inclinatio naturalis ad beatitudinem, quia talis appetitus est a natura congenitus, ergo est naturalis. Confirmatur quia si ex eo quod respicit terminum supernaturalem non potest esse naturalis ita ex eo quod oritur ex principiis naturae non potest non esse naturalis sicut quamvis terminus potentiae receptivae sit violentus et disconveniens subiecto, ut calor respectu aquae, tamen potentia ipsa receptiva caloris in aqua non dicitur potentia violenta, ergo sicut respectu termini violenti datur potentia receptiva naturalis, quia naturale est aquae et illi debitum posse recipere qualitatem violentam, ita respectu termini supernaturalis potest esse appetitus naturalis, quia naturale potest esse appetere illud supernaturale. Ex altera vero parte ratio difficultatis est quia appetitus specificatur a termino, terminus autem est supernaturalis, scilicet, beatitudo, ergo non potest esse appetitus illius naturalis. Confirmatur quia alioquin ad prophetiam, ad unionem hypostaticam, ad facienda miracula esset appetitus et inclinatio naturalis in homine, quia posse elevari ad haec omnia tam naturale est illi, id est, congenitum a natura quam est naturale intellectui posse elevari ad videndum Deum, neque non refert si dicas esse diversam rationem, quia intellectus noster appetit visionem Dei naturaliter ad expellendum malum ignorantiae, quia si per ignorantiam intelligatur sola negatio visionis Dei ita etiam natura appeteret naturaliter expellere negationem unionis hypostaticae, si vero per ignorantiam intelligatur error circa Deum tunc naturaliter quidem appetit intellectus expulsionem erroris, tamen appetit expulsionem erroris per visionem beatificam, sed tantum appetit carere errore, alioquin homo appeteret naturaliter infinitas vires ne vinceretur a contrariis, si naturaliter appeteret visionem Dei ne vinceretur ab aliquo errore; ac tandem quia appetitus oritur ex privatione, quia privatio est causa appetitus, sed privatio est rei debitae in esse, ergo quando non debetur res (85r) sicut non potest esse privatio ita non potest esse appetitus.

In hac re unam tantum fere apud omnes sanctos invenio sententiam, quia quamvis aliqui hoc tempore sentiant non esse inclinationem naturalem ad beatitudinem supernaturalem, tamen omnes ferè autores constituunt in homine appetitum naturalem beatitudinis supernaturalis; ita Scotus in 4 d. 49 q. 10 quia quamvis tantum videatur constituere appetitum naturalem per modum inclinationis non tamen appetitum elicited voluntatis, sed revera in sensu huius quaestionis non negat Scotus appetitum elicited naturalem beatitudinis, sed cum ipse habeat singularem illam opinionem de actu voluntatis quod, scilicet, nullus actus voluntatis est naturalis sed liber, in quo sensu spirationem etiam Spiritus Sancti vocat spirationem liberam et necessariam quamvis non naturalem, consequenter appetitum elicited voluntatis respectu beatitudinis noluit appellare naturalem; item Dur(endus) in 4 d. 49 q. 8 quia inquit omne imperfectum naturaliter appetit suam perfectionem; sic etiam Maior in 4 d. 49 q. 6; Palud(anus) ibidem q. 7 a 11; Sotus ibidem q. 2 a 7 et 1 De natura et gratia c. 4; Ferra(riensis) 3 Contra gentes c. 51 et optime omnium ante omnes Henrri(cus) prima parte Summae a. 3 q. 4 ad 2m; et maxime a 4, 5 q., ubi inquit quod homo naturaliter appetit quae excedent (sic) notitiam naturalem; unde sicut materia si capax esset omnium formarum ita tamen ut quasdam posset recipere opere naturae, quasdam vero non nisi operatione supernaturali naturaliter tamen appeteret omnes, ita in nostro casu posset etiam adduci exemplum de materia formarum artificialium quod licet haec non possit naturaliter assequi omnes formas artificiales possibles quarum materia ligni, id est lignum est capax, non ideo lignum naturaliter appetit formas artificiales quas assequitur ars humana, sed etiam omnes possibles; secundo probat Henrri(cus), quia omne imperfectum naturaliter appetit suam perfectionem, quod enim perfectio sit tam magna ut excedat vires naturae non minuit sed auget appetitum sicut non est minor sed maior amabilitas in obiecto quamvis minuatur possibilitatem consequendi tantam perfectionem, ubi etiam Henrri(cus) aperte constituit appetitum naturalem elicited, quia ex cognitione et notitia Dei, quam habet homo, infert appetitum illius; cognitionem autem non sequitur appetitus per modum inclinationis naturalis sed per modum actus.

In hac re verissima est sententia adducta quod in homine sit appetitus et inclinatio naturalis ad beatitudinem supernaturalem et est una ratio evidens meo iudicio sicut obiectum voluntatis est

bonum ita etiam appetitus naturalis obiectum vel terminus est bonum quid, sed omne bonum (85v) quantumvis supernaturale potest esse bonum naturale appetitus elicitum, ergo etiam potest esse terminus naturalis appetitus naturalis quod secundum rationem suam et naturam est aliquid supernaturale, ergo impossibile est in ratione appetibilis esse aliquid supernaturale quamvis in modo appetendi, id est, per hanc vel illam entitatem actus vel habitus in ordine ad consecutionem possit esse aliquod obiectum supernaturale. Ad intelligendam vim huius rationis duo probanda sunt: primum est quod nullum sit obiectum quantumvis supernaturale secundum se respectu cuius non possit esse appetitus naturalis elicited, alterum est quod respectu cuiuscumque dari possit appetitus naturalis elicited debet etiam dari appetitus etiam naturalis per modum inclinationis; probatur primum quia si ethnico proponatur Deus ut unus, ut prima causa, ut ultimus finis et secundum alia praedicata quae ratione naturali cognosci possunt de Deo, certum est posse appetitu naturali elicited amare Deum et appetere ita propositum, sed si postea eidem ethnico proponatur idem Deus ut incarnatus, ut crucifixus etc non remittetur necessario amor et appetitus quem habebat Dei, imo quanto nobiliora praedicata supernaturalia dicantur de Deo et de eius bonitate tanto magis augebitur amor, quia impossibile est amorem rei remitti ex cognitione maioris bonitatis in ipsa re; negare autem quod viribus naturae possit ethnicus amare et appetere appetitu naturali elicited Deum ipsum plus quam falsum est, nam in bulla Pii V et Gregorii XIII, ubi cuiusdam doctoris lovaniensis propositiones damnantur, inter propositiones ibi damnatas haec est una: distinctio illa duplicis amoris, naturalis, videlicet, quo Deus amatur ut autor naturae et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum Sacris Litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata. Item damnatur haec: amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae cum iniuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus. Sed ratione etiam probatur: infidelis, cui proponitur infinita Dei bonitas, potest habere motum voluntatis quo afficiatur tantae bonitati et quo illi placeat tanta bonitas, sicut infidelis existens in peccato mortali experitur huiusmodi amorem et complacentiam circa infinitam bonitatem, talis autem motus non potest esse nisi quidam appetitus voluntatis amantis Deum amore naturali, imo Deus propositus ut infinite bonus potest amari super

omnia amore quodam naturali sed non meritorio; probatur, idolum potest ita amari ab infideli, ergo verus Deus potest ita amari ab illo, est enim falsum quod eo ipso quod est amor Dei super omnia est amor charitatis, quia ut inquirunt nonnulli specificativum (86r) actus charitatis est amabilitas Dei super omnia, hoc inquam falsum est sed totum hoc obiectum, scilicet Deus amabilis super omnia potest esse obiectum tam actus aut habitus naturalis quam actus aut habitus supernaturalis; probatur quia idemmet obiectum quod totale potest esse obiectum cognitionis tam naturalis quam supernaturalis, sicut etiam idem obiectum quod, scilicet albedo potest esse obiectum speciei sensibilis et spiritualis, ergo potest esse idem omnino obiectum totale quod respectu ponderis naturalis amoris et respectu ponderis supernaturalis amoris, ergo sicut species spiritualis et sensibilis specificantur ab eadem albedine sed secundum diversam rationem sub qua, quia scilicet species sensibilis specificatur ab albedine ut repraesentata materialiter et species spiritualis specificatur ab eadem albedine ut repraesentata imaterialiter ita etiam amor Dei naturalis specificatur a Deo dilecto super omnia et similiter actus amoris supernaturalis sed secundum diversam rationem, quia amor supernaturalis respicit Deum amatum super omnia per qualitatem supernaturalem meritoriam efficacem contra peccata et proportionatam vitae aeternae, praesertim quod quamvis concederemus Deum non posse amari super omnia amore naturali ut est bonus in se, quia ut sic est obiectum charitatis tamen amore concupiscentiae, in quantum est bonum mihi, procul dubio potest amari per appetitum naturalem elicitum et hoc satis esset ad nostram quaestionem in qua volumus constituere appetitum naturalem elicitum beatitudinis et consequenter appetitum naturalem per modum inclinationis; hoc autem nomen appetitus dicit tendentiam in bonum prout est bonum appetenti, unde Irenaeus in Psalmum 62 sic ait: unius cuiuscumque mens ad cognitionem aeternitatis naturali quodam fertur instinctu, ubi ad cognitionem supernaturalem aperte constituit in nobis appetitum naturalem elicitum. Secundum vero quod, scilicet, si appetitus elicitus beatitudinis est naturalis debeat etiam constitui appetitus naturalis per modum inclinationis. probatur quia, ut supposuimus in 2 nota omnis actus naturalis praesupponit inclinationem naturalem, quia uterque appetitus tam elicitus quam naturalis respicit eundem terminum, ergo si pondere actus elicitum naturale est voluntati ferri in obiectum supernaturale secundum se, quamvis in

ratione obiecti talis actus re vera sit obiectum naturale, ergo naturale erit etiam homini ut pondere naturae feratur in idem obiectum supernaturale secundum se, quamvis in ratione termini terminantis appetitum naturalem consequenter debeat obiectum ipsum quantumvis supernaturale secundum se dici terminus naturalis. Confirmatur quia sicut in actibus elicitis voluntatis est amor, desiderium et species respectu beatitudinis ita etiam proportione debent respondere totidem inclinationes per modum naturae, nam sicut voluntas intelligitur amare et conformare se obiecto (86v) et ex hoc amore intelligitur appetere rem amatam et postea, si res illa viribus propriis possit comparari, sequitur actus operandi ita etiam natura intelligitur amare, desiderare et, si id quod desideratur est possibile viribus comparari, quasi sperat, ergo sicut in voluntate, ut probavimus, potest esse actus elicitus amandi et appetendi naturalis circa obiectum supernaturale secundum se, ita possunt esse inclinationes totidem naturales in idem obiectum; ratio est quia appetitus elicitus et naturalis re vera se habent quasi actus et habitus, ergo sicut actualis appetitus potest esse naturalis poterit etiam appetitus habitualis esse naturalis 2.^o Dicendum est quamvis detur appetitus naturalis ad beatitudinem supernaturalem in homine, imo quamvis in qualibet natura sit appetitus naturalis respectu cuiuslibet perfectionis quantumvis supernaturalis et similiter sit in homine ad prophetiam, ad unionem hypostaticam etc. nihilominus nulla est potentia aut capacitas naturalis passiva aut activa ad beatitudinem supernaturalem; quod ut intelligamus notandum est triplicem esse potentiam: unam naturalem, secundam obedientialem, tertiam violentam; naturalis potentia est quae respicit actum sibi debitum et proportionatum, quae potentia tam potest esse activa quam passiva, notanter autem non addimus potentiam neutram, quia re vera non potest distingui a potentia naturali aut obedientiali, quia si subiectum aliquod respicit indifferenter plures formas non ideo habet potentiam alterius rationis a potentia naturali aut obedientiali, quia sicut quamvis potentia naturalis materiae indifferenter respiciat formas omnes substantiales tamen naturalis potentia dicitur in ordine ad quamlibet illarum; et ratio a priori est quia forma vel debita est subiecto vel non est debita; si est debita determinate aut subdivisive est potentia naturalis, si non, est potentia obedientialis aut violenta ut infra dicemus. Confirmatur quia facere aut posse facere hanc vel illam formam non potest esse potentia passiva neutra, si

enim indifferentia in agendo hunc aut illum effectum nunquam facit potentiam activam neutram sed semper quod est potentia instrumentalis est potentia naturalis, ergo indifferentia in recipiendo hanc aut illam formam non potest facere potentiam passivam neutram sed semper quod est non potentia passiva obediens aut violenta debet esse potentia passiva naturalis. Secundum genus potentiae est potentia obediens; haec autem est omnis illa quae respicit actum non debitum sed convenientem subiecto, quae potentia videri possit essentialiter esse passiva, quia ratio illius videtur consistere in hoc quod est obedire, obedire autem est non resistere, non resistere autem non est facere sed potius pati. Nihilominus dicendum est quod potentia obediens potest esse activa sicut passiva, imo in rigore loquendo neque est activa neque passiva sed est modus quidam activae et passivae in quantum actio vel passio est supra naturam (87r) agentis aut supra naturam subiecti, sed sicut est aliquid supernaturale respectu subiecti recipientis in quantum non debetur illi talis forma ita etiam est aliquid supernaturale respectu agentis in quantum talis effectus non debetur tali agenti, ergo sicut potentia passiva est obediens, quia obedit recipiendo ita talis potentia activa erit obediens quia obedit agendo; unde non placet quod communiter asserimus rationem instrumenti pertinere ad causam efficientem, nam re vera etiam pertinet ad materialem, quod probatur hac ratione aperta, quia instrumentum in genere causae efficientis est potentia obediens in genere causae efficientis, ergo instrumentum in genere causae materialis erit potentia obediens passiva, ergo universaliter loquendo omnis potentia obediens est causa instrumentalis; tum ultra, esse instrumentum et potentiam obediens in genere causae efficientis nihil aliud est quam quod effectus pendeat a causa a qua naturaliter non petebat pendere, ergo esse instrumentum in genere causae materialis erit recipere formam et dependere a forma quam subiectum natura sua non postulabat, ergo sicut elevari causam ad efficiendum est esse instrumentum ita elevari subiectum ad recipiendum est esse instrumentum, nam rogo quando Deus immediate producit effectum supernaturalem in aliquo subiecto vel in illa actione intercedit aliqua elevatio vel nulla; si nulla ergo actio non est supernaturalis, si vero intercedit elevatio, cum illa non sit agentis quia Deus non potest elevari neque intercedat aliud efficiens quod elevetur, necesse est elevari subiectum, sed non elevatur ad efficiendum sed ad recipiendum, quia

nihil efficit sed recipit, ergo datur receptio elevata, ergo instrumentalis. Est tamen notandum quod dependentia effectus ab instrumento efficiendi perinde se habet atque si dependeret ab illo ut a propria causa, ideo ergo dependet tanquam ab instrumento, quia talis dependentia non debebatur illi instrumento, sic etiam quamvis receptio qua anima recipit gratiam perinde se habeat atque si reciperet illam ut propria causa materialis tamen est causa materialis instrumentalis, quia talis receptio illi non debebatur, gratia tamen ipsa non potest dici instrumentum in genere causae formalis, quia non elevatur ad aliquem effectum formalem sibi supernaturalem, ratio est quia quamvis subiecto non debeatur gratia, quia iam non esset gratia, tamen gratiae debetur tale subiectum et talis informatio supposito quod gratia sit extra causas et ita nunquam in genere causae formalis potest esse instrumentum (87v) quia non potest forma intelligi elevata nisi vel quia ponatur in subiecto quod natura sua non postulabat et hoc est impossibile, quia sicut subiectum non potest recipere nisi formam capacem ita neque forma potest recipi nisi in subiecto capaci, vel debebat elevari ut esset in suo subiecto et hoc non quia formae existenti extra causas debitum est suum subiectum. Tertium genus potentiae est potentia violenta, haec autem est quae respicit actum destruentem subiectum vel aliquid illius, ex quo patet res non habere potentiam obedientialem respectu formae artificialis cuiuscumque neque enim potentia obedientialis debet esse talis quia respiciat agens per artem et non per naturam, alioquin omnes res naturales dicerent potentiam obedientialem respectu Dei, quia Deus nihil agit ad extra per naturam sed per artem et per intellectum; tunc ergo est potentia obedientialis ad formas artificiales, quando respicit formam non debitam perficientem tamen; item potentia naturalis est quando respicitur forma debita ut quando fit vitium, quia aliquam formam debet habere vitium; item violenta, quando respicit formam cum destructione aliqua subiecti ut cum fit aliquid per incisionem.

Hoc posito probatur quod quamvis sit appetitus naturalis ad beatitudinem supernaturalem nulla tamen adsit potentia passiva vel activa vel capacitas ulla naturalis ad beatitudinem. Primo ex D. Tho. 3 p. q. 9 a, 2 ad 3m, dicente quod visio est supra naturam animae rationalis in quantum ad eam propriis viribus pervenire non potest, alio vero modo, inquit, est secundum naturam ipsius in quantum scilicet secundum naturam suam est capax illius; imo et

Scotus q. 1. prol(ogi) concedit Deum esse finem naturalem hominis, licet non naturaliter adipiscendum, quamvis ex eo quod docuit Scotus, ubi supra, capacitatem beatitudinis esse naturalem non sit verum, quia proprius debet appellari capacitas obedientialis ut appellavit Caiet(anus) supra q. 3 a. 8 et prima quaestione q. 1 a. 1 et tomo 3 Opusculorum q. 2; Capreolus q. 1 prologi; Ferrar(iensis) 3 Contra gentes c. 51. Et ratione probatur quia potentia activa vel passiva et capacitas etiam subiecti respiciunt terminum, ergo ab illo specificantur, ergo ab illo etiam debent habere proportionem (88r) in ratione naturalis, obedientialis aut violentae potentiae, sed terminus potentiae activae aut passivae aut capacitatis est res ipsa in ordine ad executionem, ergo est res ipsa secundum quod est supernaturalis; probatur quia potentia aut capacitas respiciunt actionem aut passionem, ergo respiciunt executionem, ergo respiciunt rem ut comparabilem, ergo si comparabilis est viribus supernaturalibus terminus talis potentiae est aliquid supernaturale. Constat ergo quod eadem res, quae in ratione appetibilis potest esse terminus naturalis et proportionatus, in ratione comparabilis potest esse terminus supernaturalis et improportionatus, quia non omne quod viribus naturae possum appetere possum viribus naturae comparare; id enim est proprium Dei, quod omne quod vult possit, ergo licet sit appetitus naturalis per modum ponderis et similiter appetitus elicited viribus naturae sit possibilis respectu beatitudinis supernaturalis in quantum est amabilis aut desiderabilis non tamen potest esse potentia naturalis ad beatitudinem ut comparabilem. Nec satis est si dicas esse potentiam naturalem insufficientem ad beatitudinem tum quia hoc non satis est ut dicatur esse potentia naturalis sicut non satis est ut ipsamet actio visionis beatificae sit ab intellectu naturali ut dicatur actio naturalis, tum quia ut suo loco supra diximus intellectus non concurrat naturaliter ad visionem beatificam etiam secundum rationem genericam, quia non est illi debitum et naturale efficere actum etiam secundum rationem genericam quae coniuncta est cum differentia specifica supernaturali. Nec satis est si dicas quod est capacitas naturalis ad beatitudinem, quia est congenita a natura, nam re vera haec specificatio non sumitur a subiecto sed a termino, alioquin potentia obedientialis et similiter potentia violenta esset naturalis, quia congenita a natura, quod est falsum.

3.º Dicendum est huiusmodi appetitum naturalem ad beatitudinem esse in ipsa potentia beatificabili essentialiter; unde ab Scoto

ponitur in intellectu et ratio est quia appetitus per modum inclinationis respicit terminum ut formam perfectientem, ergo talis appetitus debet esse in ipso perfectibili; quamvis enim appetitus elicited sit in voluntate, quia voluntas appetit sibi et toti, nam est inclinatio totius, tamen appetitus naturalis est in parte (88v) quia est appetitus partis, neque enim una pars appetit appetitu naturali alteri primario et per se sicut voluntas quae primario appetit toti, unde non bene Scotus in 4 d. 49 q. 2 a. 1 dicit simpliciter hunc appetitum esse in voluntate sicut et Paludan(us) ubi supra q. 7 a. 1, quia quamvis appetitus elicited supponat naturalem et ita videtur dicendum quod appetitus elicited voluntatis supponit appetitum naturalem voluntatis tamen re vera ille naturalis qui supponitur non respicit immediate sed actum elicited circa illam, quia voluntas non appetit naturaliter beatitudinem per modum inclinationis, quia non est ipsa capax beatitudinis essentialis sed habet inclinationem naturalem ad habendum actum elicited circa beatitudinem appetendo illam intellectui, unde beatitudo est obiectum voluntatis sed respectu intellectus est terminus inclinationis naturalis. Sed maxime notandum est quod quamvis iste appetitus naturalis, qui est in intellectu ad beatitudinem supernaturalem, simpliciter sit dicendum naturalis, quia viribus naturae fertur in suum terminum, nihilominus beatitudo non est simpliciter dicenda esse terminus aut finis naturalis, et ratio est quia hoc nomen terminus aut finis non tantum significat rem in ratione amabilis sed etiam extrahit ita ut quantum est ex se non magis significet rem ut amabilem quam ut potest comparari, ne ergo deatur intelligi quod beatitudo est naturaliter comparabilis, non est simpliciter dicendum quod est naturalis, quia appetitus naturalis sub nomine appetitus non potest respicere terminum nisi ut appetibile, cum ergo terminus ut appetibilis sit naturalis necesse est appetitum esse naturalem simpliciter loquendo, quia sub hac tantum ratione requiritur et respicitur ab appetitu naturali... (sic).

4.º Dicendum est, quamvis sit appetitus naturalis ad beatitudinem tamen non cognoscitur hic appetitus ab angelo, quia est (89r) appetitus naturalis sed rei supernaturalis, nam sicut si rogarem utrum angelus cognosceret capacitatem diceretur naturaliter non cognosci illam quamvis sit naturaliter congenita, quia respicit terminum supernaturalem, ita dicimus quod non cognoscit naturaliter appetitum naturalem ad visionem beatificam, quia visio beatifica est supernaturalis atque ita neque eius possibilitas potest cognosci

naturaliter ab angelo. Sed neque hoc tantum verum est sed etiam verum est quod non cognoscit omnem appetitum naturalem ad rem naturalem, quia intellectus appetit naturaliter omne ens possibile naturale et tamen angelus non cognoscit omnia possible naturalia et ita non cognoscit distincte singulos appetitus intellectus ad talia obiecta sed tantum appetitum universalem ad omne ens, ergo si non cognoscit angelus appetitum particularem ad rem naturalem, nisi quia terminus continetur sub universali appetitu, multo minus cognoscet appetitum particularem ad visionem Dei nisi quatenus continetur sub universali.

Ultimo dicendum est D. Tho. semper quod agit de appetitu naturali beatitudinis supernaturalis re vera simpliciter loquitur de appetitu naturali elicitu ut 1p. q. 2 a. 1 ad 1m, et aperte q. 12 a. 1 et q. 19 a. 10 et q. 60 a. 2 et maxime 83 a. 1 ad 5m, et in hac 1-2 q. 3 a. 6 ad 2m. et q. 10 a. 1; id vero quod docet 1p. q. 78 a. 1 ad 3m. et q. 80 a. 1 etiam potest intelligi de appetitu elicitu, quia re vera tantum voluit docere D. Tho. quod docuit Arist(oteles) in simili casu, quando dixit omnes homines naturaliter scire desiderant, ubi Aristot(eles) aperte loquitur de appetitu elicitu seu de desiderio elicitu, quia probat id ex amore quem habemus sensuum disciplinae, id est, visus et auditus; constat autem quod ad appetitum per modum ponderis non requireretur sensitiva cognitio et de appetitu elicitu interpretatus est Arist(oteles) ipse Divus Tho. infra q. 10 a. 1, Caiet(anus) (89v) 1p. q. 87 a. 1 et q. 82 a. 1; et Ferrar(iensis) ubi supra et 1 Contra Gentes c. 4 de quo appetitu naturali sciendi multa tradit Henricus per novem quaestiones 1p. a. 4, dicemus tamen nos infra q. 10; legatur D. Tho. infra q. 79 a. 5 ubi quaerit utrum odio possit haberi veritas; de naturali quidem inclinatione intellectus constat quod ad omnem veritatem reperitur in intellectu, sicut in qualibet potentia, appetitus naturalis ad proprium obiectum. Sed quamvis bene Ferrar(iensis), ubi supra, notavit D. Tho. tantum loqui de appetitu naturali elicitu beatitudinis male tamen sensit in eo quod tantum posuit appetitum naturalem per modum inclinationis ad visionem Dei in quantum est finis naturalis, id est, in quantum est unus non tamen ad Deum ut est finis supernaturalis in quantum est terminus, nam de appetitu elicitu iam probavimus quod potest quodcumque obiectum supernaturale naturaliter appeti, appetitu vero per modum inclinationis impossibile est appeti Deum ut unum et non ut trinum, quia praeterquam quod tam supernaturalis est appetitus visionis

clarae Dei ut est unus quam ut est trinus re vera ignoratur natura appetitus naturalis, quia ut optime dixit Scot(us) ubi supra appetitus naturalis habet pro termino rem sicut est a parte rei, at a parte rei idem Deus est trinus et unus, appetitus enim per modum inclinationis non fertur in rem prout cognitam atque ita non fertur in rem ut cognitam sub hac ratione aut sub illa sicut nunquam fertur in rem universalem sed fertur in rem sicuti est et in rem particularem sicut dicimus quod obiectum visus non est color universalis sed universaliter, id est, omnes colores singulares et hinc oritur alia differentia, ut bene Scotus, inter appetitum naturalem et elicitedum, quod naturalis non fertur in beatitudinem in communi atque adeo nunquam potest errare, id est, ferri in beatitudinem apparentem, quia non fertur in beatitudinem ut cognitam sed prout est a parte rei, at vero appetitus elicitedus ferri potest in beatitudinem in communi et rursus in beatitudinem particularem apparentem et tandem in beatitudinem veram (90r) Ex dictis infertur quomodo in anima separata sit appetitus naturalis sui corporis quamvis nulla sit potentia passiva vel activa naturalis ad dandum illi secundo corpus quod habuit; patet etiam solutio ad omnia argumenta initio posita, quod scilicet nihil est tam supernaturale, si vero unio hypostatica sive prophetia etc. quod in ratione appetitus non sit terminus naturalis respectu appetitus naturalis quamvis in ratione effectus comparabilis sit supernaturalis respectu potentiae obedientialis.

Sed obiicies Aug(ustinus) 1 De Praedestinatione c. 4 dicentem posse habere fidem naturae, habere autem donum Dei, ergo ad aliquid supernaturale ponit Aug(ustinus) potentiam naturalem; secundo si est appetitus naturalis ad beatitudinem supernaturalem, ergo homo in puris naturalibus creatus non posset esse beatus beatitudine naturali, si quidem non potest habere satiatum istum appetitum naturalem; tertio in damnatis appetitus iste esset frustra, quia non debet impleri; ultimo quia D. Tho. ponens appetitum naturalem ad beatitudinem videtur loqui ut theologus, id est, supposita fide divina.

Ad primum respondetur quod Aug(ustinus) tantum significat capacitatem recipiendae fidei esse a natura congenita non tamen vult esse capacitatem naturalem.

Ad secundum respondetur quod ad beatitudinem naturalem non requiritur satiatos esse omnes appetitus rerum supernaturalium, imo neque appetitus rerum naturalium; neque enim beatus cog-

noscit omnia naturalia aut supernaturalia quae potest cognoscere sed tantum requiritur satiatus esse appetitus qui oriuntur ex privatione, id est, appetitus rei debitae et non habitae respectu quorum dicitur, privatio est causa appetitus.

Ad tertium respondent Scotus d. 49 q. 10 et Palud(anus) q. 7 a. 2 quod per accidens est appetitum naturalem non impleri in damnatis tanquam in quibusdam monstris, satis est quod in specie impleatur; nos vero facile respondemus quod appetitus naturalis non est frustra quia non recipit ut comparabilem sed ut amabilem.

Ad ultimum respondetur falsum fuisse Caiet(anum) in hoc quod dixit D. Tho. fuisse locutum ut theologum, id est, supposita fide, quia nec D. Tho. verbum fecit de fide locis citatis et iam probavimus etiam in ethnico posse esse appetitum elicium cuiuscumque rei supernaturalis. Et de nostro fine iste sit finis.

Finis universae materiae de Beatitudine.

1 pars S. Tho. quaestio 23 a. 1

DE PRAEDESTINATIONE

Adeo profundum et inscrutabile visum est doctoribus omnibus divinae predestinationis misterium et ingenii nostri imbecillitati longe impar, ut divinus ille gentium doctor eius magnitudinem contemplatus, at ab eadem quasi perterritus, in ea verba proruperit ad Romanos 11: *Oh altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius*, quare pie et modeste, prout fieri possit, Patrum vestigiis insistentes a nobis procedendum est, ne aut divinae bonitati et infallibili eius providentiae iniuriam inferamus aut arbitrii nostri libertati circa actus humanos aliquid substrahamus.

Disputant hanc materiam innumeri doctores, praesertim scholastici, in primo d. 40 et sequentibus cum MAGISTEO; D. TH. 1 p q. 23; DE VERITATE q. 3; CONTRA GENTES capite ultimo et opusculo DE PRAEDESTINATIONE; FAUSTUS Galliae episcopus duobus libris DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO; SOT(US) SUPER EPISTOLAM AD ROM. c. 9; CORDUBA lib. 1 QAESTIONARIJ q. 56; CATARINUS opusculo DE PRAEDESTINATIONE; IOHAN(NES) BONONIAE opusculo etiam DE PRAEDESTINATIONE; BARTHOLOMEUS CAMERA (sic) in Dialogis DE PRAEDESTINATIONE; DRIEDONIUS lib. DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII ET PRAEDESTINATIONE; MOLINA in eodem opere. Ex Patribus vero AUG(USTINUS) pluribus in locis praesertim libro DE DONO PERSEVERANTIAE; idem cum HIERONI(MO) et AMBROS(IO) SUPER EPISTOLAM AD ROM. c. 8 et 9; CHRISOSTOMUS HOMILIA 1 SUPER EPISTOLAM AD ROM. 5.

Articulus 1. Utrum homines praedestinentur a Deo

Conclusio est affirmativa.

Suponendum est 1.^o in hac disputatione cum D. TH. in corpore huius articuli, id quod attinet ad quaestionem an sit, scilicet, quod homines praedestinantur a Deo, et eadem est ratio de angelis, ut docet D. TH. in solutione ad 1m. Conclusio haec de fide est secundum

illud ad ROM. 8: *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini filii sui*; et ad EPHE. 1: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*; et inferius: *praedestinavit nos in adoptionem filiorum*.
 [1v] Docet CONCILIUM TRIDENTINUM sessione 6 canone 12 et 16.

Sed ut videamus quid praedestinatio sit ab ipsa nominis ethimologia et interpretatione inchoandum est. Verbum enim *praedestino* ut docet Calepinus et alii linguae latinae periti, compositum est ex praepositione *prae* et verbo *destino*, sed verbum *destino* duas habet significationes: primo accipitur prout idem est destinare quod mittere. Sic 1 MACH 1: *destinaverunt aliquos de populo*, id est, misserunt; SÜETONIUS in Vita Galbae c. 10: *praetorianos milites*, inquit, *cum mandatis ad imperatorem destinasse*, id est, misisse; sic accipit IUVENALIS in eo versu: *destinat hoc monstrum ligni cimboque magister Pontifici Summo*. Sed haec acceptio minus frequens est in Sacris Litteris.

Secundo modo accipitur verbum *destino* prout idem est destinare quod ordinare, definire aut statuere. Sic PAUL(US) 2 AD COR. 4: *constituit nos Apostolorum novissimos tamquam morti destinatos*, id est, ordinatos; et 2 AD COR. 8: *non ex necessitate sed prout unusquisque destinavit in corde suo*, id est, ordinavit; et haec acceptio frequentior est in Sacris Litteris. Cum igitur verbum *praedestino* compositum sit ex *prae* significante antecessionem et ex verbo *destino*, potest etiam duo significare, scilicet, transmittere in aliquem finem et praeordinare in illum.

Dubium igitur est in qua ex his significationibus accipiendum sit in praesentiarum. D. TH. a. 1 huius quaestionis, et DURAND(US) in 1 d. 40 q. 1, DRIEDONIUS DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII ET PRAEDESTINATIONE c. 1 dicunt accipiendum esse priori modo, prout praedestinare idem est quod transmittere et praedestinatio idem quod transmissio creaturae rationalis in finem. Nituntur huic rationi, quod, quotiescumque aliquid eo pervenit quo natura sua et propriis viribus non potest pervenire, necesse est transmittatur ab alio, sicut sagitta transmittitur in scopum quem propriis viribus non potest pertingere; sed creatura rationalis pervenit ad beatitudinem supernaturalem quam propriis viribus consequi non potest; ergo necesse est transmittatur ab alio, id est, a Deo; sed transmittitur in beatitudinem per praedestinationem; ergo praedestinatio nihil aliud est quam transmissio.

Sed quamvis verum sit quod creatura rationalis per effectus praedestinationis transmittitur in vitam aeternam, haec tamen acceptio metaphorica est et ideo accipiendum est verbum *praedestinare* prout est idem quod praeordinare aut praedefinire et *praedestinatio* prout idem ac praedeterminatio, id est, praedefinitio mediorum quibus creatura rationalis dirigitur in vitam aeternam aut in penam. Sic accipit HIERONIMUS hoc verbum in illud AD EPHE. 1: *praedestinavit nos* etc. ubi praedestinare idem esse docet quod praedefinire aut praedeterminare; AUGUSTINUS accipit hoc modo lib. 6 HYPOGNOSTICON ubi docet praedestinare dictum esse ab eo quod est praedeterminare seu praedefinire et ACT. 13: qui praedeterminati sunt appellantur praedeterminati; [2r] unde ad ROM. 8 et ad EPH. 1 ubi interpret latinus transfert praedeterminatio, graece habetur praedeterminatio. In hoc sensu accipit ALEXANDER 1 p. q. 28 memb. 1 a. 1; CAIETANUS supra epistolam AD ROM; ALBERTUS PIUS lib. 8 DE LIBERO ARBITRIO c. 2. Sed prout praedestinare idem est quod praedeterminare etiam duobus modis accipitur: primo ut se extendit ad electos et reprobos. Sic accipit AUGUSTINUS lib. 15 DE CIVITATE DEI c. 1 ubi docet duas esse civitates in ecclesia Dei, aliam quae praedeterminata est in ignem aeternum, altera quae in regnum aeternum; et lib. 21 c. 24; et DE PRAEDESTINATIONE c. 1. Sic accipit ISIDORUS lib. 2 DE SUMMO BONO c. 6; et FULGENTIUS lib. 1 AD MONIMUM. Sed alio modo communiter accipitur praedestinare ab autoribus, pressius sumpto vocabulo prout, scilicet praedeterminatio est ordinatio mediorum quibus creatura rationalis dirigitur in vitam aeternam, in qua acceptio praedeterminatio solum se extendit ad electos qui effectum ipso vitam aeternam consequuntur, reliqui vero qui a beatitudine sunt exclusi, retenta ratione generica praescientiae, appellantur praesciti, quia cum praescientia non sit causa rei praescitae et Deus non sit causa perditionis damnatorum sicut per praedeterminationem est causa salutis electorum, tamen dicuntur praesciti et non praedeterminati; unde deinceps in hac disputatione solum electi ad vitam aeternam appellandi sunt praedeterminati, exclusi vero ab ea reprobi, quamvis in Scriptura Sacra aliquando qui electi sunt appellentur electi, parati in regnum, vasa misericordiae et vasa in odorem, reprobis autem appellentur maledicti, odio habiti, vasa irae et vasa in contumeliam.

Dubium tamen est an particula illa *prae* dicat antecessorem durationis, an vero dicat antecessorem dignitatis. CATARINUS opusculo DE PRAEDESTINATIONE p. 1 docet tantum significare antecessio-

nem dignitatis, existimat enim, ut inferius videbimus, omnes homines esse ordinatos in vitam aeternam, quosdam tamen illorum, qui infallibiliter vitam aeternam consequentur esse prae alios ordinatos et hos tantum appellari praedestinos in Scriptura, alios vero esse tantum destinatos, quia non infallibiliter vitam aeternam consequentur et hos appellari destinatos non tamen praedestinos, de cuius sententia postea iudicandum est. Placet tamen in hac re opposita sententia, quod particula illa significet antecessorem durationis ita ut praedestinatio sit ordinatio ab aeterno existens in mente divina, antequam res ipsae ordinatae fierent. Sic dicit S. TH. in hoc articulo; DURAND(US) in 1 d. 40 q. 2; BONAVENTURA a. 1 q. 2; ALEX (ANDER) loco citato; sed nihilominus negandum non est simul etiam significare antecessorem dignitatis ita ut praedestinati dicantur prae aliis, id est, prae reprobis ordinati vel dicatur praedestinatio specialis hominis ordinatio, quia reliquae creaturae irrationales ordinantur in finem sibi connaturalem et ideo appellantur destinatae et non praedestinatae, homo autem ordinatur [2v] in finem sibi supernaturalem atque adeo solus dicitur praedestinari.

QUAESTIO 1. AN PRAEDESTINATIO SIT ACTUS INTELLECTUS AN VERO VOLUNTATIS

Conveniunt doctores omnes in 1 d. 40 utrumque actum, scilicet, intellectus et voluntatis necessarium esse ad perficiendam praedestinationem, eo quod in ordinatione qua Deus hominem ordinat in vitam aeternam plures intelligimus actus: primo, iudicium de praedestinato, de gloria conferenda et de mediis quibus consequenda est; deinde, intelligimus voluntatem dandi gloriam; postea, electionem ipsorum mediorum; et ultimo, secundum aliquos, praeceptum qui est actus ipsius voluntatis; unde, quia uterque actus necessarius est, aliquando in Scriptura appellatur *propositum*, ad ROM. 8, sive *electio*, ad EPH. qui sunt actus voluntatis, aliquando vero appellatur *cognitio*, 2 ad TIM. 1: *novit Dominus qui sunt eius*. Sic appellatur ab AUG (USTINO) lib. DE PRAEDESTINATIONE c. 1; et DE BONO PERSEVERANTIAE c. 14, ubi definit praedestinationem quod sit praescientia et praeparatio beneficiorum Dei. Et ratio etiam probat utrumque actum esse necessarium ad praedestinationem, quia praedestinatio est actus efficax, sed actus intellectus habet efficacitatem a voluntate, ergo

requiritur simul cum actu intellectus actus voluntatis; similiter actus voluntatis supponit iudicium intellectus, ergo simul cum actu voluntatis requiritur actus intellectus.

Difficultas tantum potest esse an praedestinatio, sive sit actus voluntatis sive intellectus, versetur tantum circa gloriam conferendam homini an vero circa gloriam et media omnia quibus homo dirigitur ad gloriam. GABRI(EL) in 1 d. 40 q. 1 docet praedestinationem solum versari circa gloriam ipsam, non autem circa media ad gloriam, quod probat quia praedestinatio est ratione cuius maximum bonum provenit ipsi praedestinato, sed ratione voluntatis dandi gloriam maximum bonum provenit praedestinato, quia gloria est maximum bonum, ergo illa tantum est praedestinatio, scilicet, praedestinatio aut voluntas dandi gloriam. Probatur secundo; quia praedestinatio est efficax et infallibilis, sed ratione collationis gloriae solum habet infallibilitatem, ergo in voluntate dandi gloriam consistit praedestinatio.

Sed his non obstantibus dicendum est praedestinationem non solum versari circa gloriam ipsam tamquam circa finem, sed etiam circa media ad gloriam, scilicet, vocationem, iustificationem, perseverantiam etc. Sic docet AUG(USTINUS) lib. DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 10, ubi docet quod praedestinatio includit propositum dandi gratiam in praesenti, ubi nomine gratiae intelligit media requisita ad gloriam; cui consentit MAG(ISTER) in 1 d. 40; et colligitur ex illo ad EPHE. 2: *vocati in operibus bonis quae praeparavit Deus* adiuncta interpretatione AUGUSTI(NI) [3r] eo loco dicentis quod praeparare opera est praedestinare sive praedestinare. Et ratione etiam probatur, quia praedestinatio est species providentiae, ut dicemus, sed providentia versatur erga media, ut docet D. TH. q. 22 a. 1, ergo et praedestinatio versatur erga media ad gloriam.

Ad argumenta GABRI(ELIS) respondetur non sufficienter ordinari hominem ad gloriam per solam voluntatem aut ordinationem dandi gloriam, cum requirantur plura alia media ad gloriae assecutionem; unde probant voluntatem dandi gloriam aut ordinationem eiusdem pertinere ad praedestinationem, non tamen probant praedestinationem, imo cum ordinatio illa versetur potius erga finem quam erga media minus habet rationem praedestinationis et providentiae quam ordinatio mediorum ad gloriam, nam, quamvis respectu voluntatis Dei, quae est ultimus finis praedestinationis, habeat

rationem electionis seu ordinationis mediorum, tamen respectu gloriae, quae est finis proximus praedestinati, potius habet rationem intentionis seu ordinationis erga finem, ac proinde minus habet rationem praedestinationis quam ordinatio mediorum ad gloriam.

Tota difficultas manet modo in explicando an formaliter consistat praedestinatio in actu intellectus an vero in actus voluntatis. SCOT(US) in 1 d. 40 q. unica; BONAVENTURA q. 2; GREG(ORIUS) q. 2 a. 1 asserunt praedestinationem formaliter consistere in actu voluntatis, addit tamen SCOT(US) sustineri posse quod sit actus intellectus connotans sive innuens actum voluntatis. Probant primo quia Scriptura Sacra praedestinationem exprimit per actum voluntatis; MATH. 22: *multi sunt vocati pauci vero electi* et ad EPHE. 1: *electi nos in ipso* etc. ad ROM. 9: *Iacob dilexi Esau autem odio habui*. Secundo ratione quia praedestinatio est efficax causa assequendi gloriam, sed tota efficacia provenit ab actu voluntatis, ergo in eo consistit formaliter praedestinatio. Et confirmatur quia amor Dei erga nos est causa omnium bonorum supernaturalium, sed ex praedestinationeveniunt nobis omnia bona supernaturalia, ergo in amore qui est actus voluntatis, formaliter consistit praedestinatio. Tertio quia praedestinatio et reprobatio cum sint actus contrarii debent esse eiusdem potentiae, sed reprobatio est actus voluntatis cum sit odium aut refutatio, ergo similiter praedestinatio debet esse actus voluntatis.

Alii tamen dicunt praedestinationem formaliter includere utrumque actum; non aliter probant quam ex definitione praedestinationis tradita ab AUG(USTINO) lib. DE BONO PERSEVERANTIAE c. 14 ubi dicit quod praedestinatio est praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, in qua definitione uterque actus includitur.

Sed nihilominus sit conclusio: praedestinatio est formaliter actus intellectus connotans [3v] ac um voluntatis a quo habet efficaciam producendi effectum et eadem est ratio de providentia. Sic docet D. TH. in hoc articulo et DE VERITATE q. 6; DURAND(US) in 1 d. 40 q. 1 n. 9; GABRI(EL) eadem disputatione et quaestione; ALEX(ANDER) 1 p. q. 28. Et ratione probatur quia praedestinatio nihil aliud est quam praecoordinatio a qua praedestinitus sit denominatur, sed ordinatio est actus intellectus, ergo et praedestinatio. Deinde secundo quia praedestinatio est species providentiae, sed providentia est actus intellectus ergo similiter praedestinatio. Tertio quia in Scriptura Sacra praedestinatio dicitur liber vitae, sed liber vitae

pertinet ad intellectum in quo sunt scripti omnes electi, ergo etiam praedestinatio. Favet etiam huic sententiae AUG(USTINUS) DE BONO PERSEVERANTIAE c. 17 ubi docet quod praedestinare est in praescientia praedordinare aut praedefinire; et HIERONI(MUS) ad EPHE. 1.

Unde sequitur ex dictis nihil referre ad veritatem fidei docere praedestinationem esse actum intellectus aut voluntatis, cum Scriptura aliquando, ut visum est, praedestinationem exprimat per actum intellectus, aliquando per actum voluntatis; ex quo constat solutio ad primum. Ad secundum SCOT(I) respondetur efficaciam praedestinationis provenire ab actu voluntatis conjuncto praedordinationi quae formaliter est praedestinatio, quem actum voluntatis praedestinatio connotat; unde eius argumentum tantum probat actum voluntatis requisitum esse. Ad confirmationem respondetur non ex solo amore Dei erga nos provenire bona supernaturalia nobis sed ex amore atque ordinatione intellectus simul, diversimode tamen quoniam ex intellectu tanquam ex ordinante illa media, ex voluntate vero tanquam exequente, et ita non probatur praedestinationem consistere in actu voluntatis. Ad tertium argumentum respondetur reprobationem non esse actum proprie contrarium praedestinationi neque esse actum proprie illi contrarium sed contradictorie, scilicet, non-praedestinationem, quia non sicut Deus est causa nostrae salutis per praedestinationem ita est causa perditionis per reprobationem, ut postea videbimus, interim tamen negandum est reprobationem esse formaliter odium, sed potius est ordinatio intellectus excludentis hominem a vita aeterna et dirigentis in penam.

QUAESTIO 2. IN QUIBUS ACTIBUS INTELLECTUS ET VOLUNTATIS CONSISTAT PRAEDESTINATIO.

Hactenus vidimus praedestinationem esse actum intellectus connotantem efficacem actum voluntatis, sed quoniam in intellectu et voluntate quibus dirigitur aliquid in finem sex sunt actus secundum sententiam D. TH. 1-2 q. 11 et sequentibus: primo reperitur iudicium intellectus de fine ipso, deinde intentio voluntatis, tertio consultatio de mediis cuius consultatio est iudicium intellectus, quarto electio, quinto imperium intellectus [4r] explicatum per haec verba, *fac hoc*, ultimo usus qui est actus voluntatis exequentis effectum ipsum. Omittimus actus inefficaces voluntatis.

Dubium igitur est quis actus intellectus istorum sit formaliter praedestinatio et quem actum voluntatis connotet. Supponendum est 1^o in Deo non esse formaliter consultationem prout est investigatio mediorum cum dubitatione, qua ratione invenitur in nobis, quia quamvis in Deo concipiamus nostro modo intelligendi plures actus intellectus et voluntatis, qui tamen sunt unicus actus simplex in se, tamen ea quae important imperfectionem, sicut investigatio cum dubitatione, etiam nostro modo intelligendi non tribuimus Deo. 2.^o supponendum est in Deo non esse priorem actum intentionis dandi gloriam quam sit iudicium de mediis per quae conferenda est gloria, sed ante omnem actum voluntatis praecedere in Deo iudicium de homine, cui danda est gloria, de gloria conferenda et de mediis et ordinatione mediorum ad gloriam; ex imperfectione enim nostri intellectus provenit quod ante actum intentionis non praecedat iudicium de mediis, quia non semper possumus simul iudicare de mediis et fine et ideo prior est aliquando intentio finis quam sit iudicium de mediis; neque obstat si obiicias quod intentio voluntatis est prior electione etiam in Deo, quia electio est circa media, ergo similiter debet esse prior iudicio quod versatur erga media; haec enim consequentia nulla est quia intentio est causa electionis in nobis secundum rem et ideo concipimus illam in Deo tanquam rationem electionis atque adeo priorem illa; non est tamen intentio causa iudicii mediorum in nobis et ideo non necessario concipimus illam in Deo tanquam ratione priorem iudicio de mediis, imo, si intentio finis dandi gloriam praecederet iudicio de mediis conferentibus ad gloriam in Deo, inferret Deus necessitatem nostrae voluntati, ut infra videbimus

Circa dubium praesens duplex est sententia: altera D. TH. in a. 4 huius quaestionis; CAI(ETANUS) ibidem adiuncta doctrina D. TH. 1-2 q. 17 et aliorum tomistarum asserentium praedestinationem formaliter consistere in actu intellectus, qui est imperium connotans actum electionis praecedentem, a quo imperium sortitur efficaciam causandi. Probant ratione quia praedestinatio debet esse actus efficax intellectus atque adeo perfecte practicus, sed nullus alius actus intellectus est perfecte practicus praeter imperium quia nullus alius supponit efficacem actum voluntatis circa idem medium, ergo praedestinatio essentialiter consistit in actu imperii et connotat actum electionis praecedentis. Sed quamvis haec quaestio sit de nomine, ut notavit DURAND(US) citandus infra, quia si semel conceda-

mus omnes actus intellectus iam enumeratos necessarios esse ad praedestinationem parum refert hunc vel illum dicamus esse formaliter praedestinationem, tamen existimo [4v] dicendum actum imperii post electionem non esse necessarium in Deo neque in nobis, ideo quaestio fit de re et non de nomine; unde dicendum est actum imperii non esse necessarium et proinde praedestinationem formaliter consistere in actu iudicii et connotare actum electionis subsequenter. Sic docet MOLINA q. 23 a. 2 disputatione 2 et quod praedestinatio formaliter sit actus iudicii et non imperii docuit DURAND (us) in 1 d. 40 q. 1.

Utrumque probatur modo, quia actus imperii neque est necessarius in Deo neque in nobis, ergo non consistit in illo praedestinatio, quia si necessarius non est, ponendus non est; antecedens probatur quia per actus iudicii sufficienter iudicantur media tanquam convenientia vel inconvenientia et ordinantur inter se atque etiam proponuntur voluntati, quo actu posito statim sequitur efficax actus electionis qui sua efficacia potens est movere potentiam executivam, si actio sit exequenda per aliam potentiam, ergo frustra ponitur actus imperii. Et confirmatur haec ratio quia actus imperii non est de se efficax sed ratione electionis praecedentis, de se autem solum est quaedam ordinatio, sed media supponuntur ordinata per actum iudicii, ergo sufficiens est actus iudicii cum electione subsequenti. Confirmatur secundo quia actus imperii exoptulat actum usus subsequentem secundum oppositam sententiam ut exequatur opus ipsum ratione suae efficaciae, sed iam praesupponitur ante imperium actus voluntatis efficax, scilicet electio, ergo frustra ponuntur actus imperii et actus usus. Secundo quia in bruto, posito actu iudicii simplici, movetur appetitus efficaciter, cuius efficacia moventur exteriora membra ad opus absque ullo actu imperii, ergo praeter actus iudicii et actum electionis subsequenter nullum est necessarium opus; quod si obiicias quod exterius duobus modis significamus per verba, scilicet, speculative ut cum dicimus hoc est faciendum, quo actu non movemus alium ad opus, alio modo practice ut cum dicimus, fac hoc, quo actu movemus aliquem ad opus; sed primus actus correspondet actui iudicii, secundus vero actui imperii, ergo cum praedestinatio debeat esse actus movens ad opus sequitur quod consistat in actu imperii non in actu iudicii; sed respondetur quod ideo per primum actum non movemus quia tantum exprimimus intellectum ipsum qui de se motivus non est, per secundum actum

ideo movemus quia non tantum exprimimus intellectum, sed etiam voluntatem alteri, sed quia interius non necesse est proponere actum intellectus aut actum voluntatis ipsi voluntati sed satis est proponere rem ipsam ideo, posito iudicio, sequitur efficax electio voluntatis et executio operis.

Sed quod in Deo non sit actus iste imperii necessarius speciali ter probatur quia impium [5r] esset dicere quod, posito actu iudicii quo Deus iudicat esse aliquid faciendum et posito immediate actu electionis efficaci, non esset potens rem in executionem ponere sed expectare actum imperii et usus ac si actus ille iudici non esset sufficiens ad iudicandum vel actus voluntatis non esset sufficiens ad exequendum, quod dicendum non est. Et confirmatur quia in nobis experimur interius actum iudicii quo iudicamus rem, esse convenientem et tamen nunquam experimur hunc actum imperii, *fac hoc*, ergo signum est hunc actum non esse necessarium vel non esse. Ultimo quia vel imperium esset necessarium ad movendam voluntatem vel ad movendas inferiores potentias; non ad movendas potentias, quia intellectus non proponit immediate alteri potentiae quam voluntati, non ad movendam voluntatem, quia iam sufficienter fuerat obiectum propositum illi per actum iudicii, igitur actus imperii distinctus ab actu iudicii non est necessarius atque adeo praedestinatio consistit essentialiter in actu iudicii.

Ad argumentum factum pro opposita sententia respondetur concedendo maiorem et negando minorem, quia sicut actus iudicandi non est efficax ratione sui sed ratione electionis subsequenter ita etiam actus imperii non est efficax ratione sui sed ratione electionis praecedentis ac, proinde imperium non est magis actus practicus quam iudicium, imo cum secundum oppositam sententiam actus imperii, ut efficax sit, indigeat electione praecedenti et usu sequenti, actus vero iudicii in nostra sententia solum indigeat actu electionis sequenti, sequitur actum imperii minus efficacem esse quam sit actus iudicii. Quod si obiicias quod imperium supponit electionem tanquam priorem a qua potest habere efficaciam, actus vero iudicii non supponit actum efficacem voluntatis circa idem obiectum sed potius est prior illo, ergo non potest ab eo efficaciam habere, alias participaret illam ab eo quod est posterius, respondetur quod sicut actus iudicii non exequitur ratione sui sed ratione usus electionis posterioris sic actus imperii non exequitur ratione sui sed ratione usus et propterea theologi fatentur in omni opinione proxi-

mam rationem operandi ad extra in Deo esse voluntatem, praesertim quia hoc tantum est necessarium in omni actu practico, quod per intellectum et voluntatem fiat opus ipsum, quod vero voluntas praecedat vel subsequatur hoc est impertinens.

Obiiciet tamen quis quod per praedestinationem distinguitur praedestinatus a reprobis, sed per actum iudicii non intelligitur distinctus, ergo in actu iudicii non consistit formaliter praedestinatio; patet minor quia actus iudicii nihil ponit in praedestinato. Sed respondetur quod si loquamur de distinctione quantum ad ordinationem extrinsecam ipsi praedestinato secundum esse non distingui per actum iudicii ordinantis praedestinatum in gloriam et non reprobis, si autem loquamur de praedestinatione cum effectu, verum est non distingui per actum iudicii tantum sed adiuncta voluntas [5v] in nostra sententia est electio, cum Scriptura dicat per electionem praedestinos distingui a reprobis; unde in opposita sententia frustra post electionem ponitur imperium et usus.

QUAESTIO 3. AN PRAEDESTINATIO SIT PARS PROVIDENTIAE

Cum certum sit providentiam esse actum intellectus practici ut docet S. THO. q. 22 a. 1; DUR(ANDUS) in 1 d. 40 q. 3 a. 1; MARSIL(IUS) q. 41 a. 1 et connotare actum voluntatis sicut de praedestinatione diximus, merito dubitatur quomodo praedestinatio se habeat ad ipsam: an, scilicet, sit pars subiectiva eius vel ab ea specie distincta.

D. TH. a. 4 huius quaestionis et CAI(ETANUS) ibidem docent praedestinationem esse partem subiectivam providentiae ex parte obiectorum ac si dicam obiectum praedestinationis esse partem subiectivam obiecti providentiae, actum tamen praedestinationis non esse partem subiectivam actum providentiae. Probant primum, quia providentia versatur circa naturalia et circa supernaturalia, praedestinatio autem tantum circa supernaturalia, ergo obiectum praedestinationis continetur sub obiecto providentiae; secundum probant quia actus providentiae et praedestinationis sunt in Deo unus actus simplex in quo neque est genus neque species, ergo unus esse non potest pars subiectiva alterius.

Sed verior est opposita sententia quod praedestinatio, etiam secundum actum ipsum, sit pars subiectiva et veluti species providentiae.

Ita docet idem D. TH. DE VERITATE q. 6 a. 1 et in d. 40 q. 1 a. 2; CAPREOL(US) ibidem q. unica a. 1; SOT(US) super Epistolam ad Rom. c. 4. Pro cuius probatione advertendum est quod prudentia est scientia practica quae versatur circa agibilia tam futura quam praesentia, sub obiecto autem prudentiae continetur obiectum providentiae quae versatur circa agibilia futura tam naturalia quam supernaturalia; unde obiectum providentiae Dei est totum ipsum universum prout comprehendit naturalia et supernaturalia et ordinem ipsorum inter se, obiectum autem praedestinationis continetur sub obiecto providentiae, quia praedestinatio versatur circa ea quae ordinantur in finem supernaturalem consequendum; unde sicut obiecta harum virtutum se habent sicut genus et species, ita consideramus in Deo nostro modo intelligendi plures actus prudentiae circa diversa obiecta a quibus abstrahimus rationem generis et circa obiecta providentiae consideramus plures actus a quibus abstrahimus rationem generis providentiae contentae sub genere prudentiae et circa obiecta diversa praedestinationis consideramus plures actus a quibus abstrahimus rationem generis contenti sub genere providentiae ac proinde praedestinatio ex parte actus erit pars subiectiva et veluti species providentiae; probatur hoc quia si praedestinatio non posset esse species providentiae maxime quia uterque actus sunt in Deo unicus et simplex actus, sed haec ratio est nulla, quia quamvis intellectus et voluntas et actus utriusque sint in Deo una simplex substantia et unus sim [6r] plex actus distinguimus inter se tanquam duas potentias et duos actus et ab utrisque abstrahimus rationem generis, ergo quamvis praedestinatio et providentia secundum se sint in Deo unus simplex actus possunt habere nostro modo intelligendi rationem generis et speciei vel saltem inferioris et superioris. Ex quibus sequitur quod providentia dividitur in providentiam naturalem et supernaturalem, quarum prima versatur erga media in ordine ad finem naturalem, secunda erga media in ordine ad finem supernaturalem; haec autem secunda dividitur in praedestinationem, quae versatur erga media supernaturalia in ordine ad finem re ipsa consequendum, et in providentiam supernaturalem quae reperitur in reprobis in ordine ad finem supernaturalem qui in effectu non est consequendus. Ex quibus sequitur quae sit definitio prae-

destinationis quae omissis aliis quae ab AUG(USTINO) et D. TH. traduntur, sic potest tradi: praedestinatio est praedeterminatio sive providentia mediorum dirigentium in finem supernaturalem cum proposito illa exequendi.

QUAESTIO 4. AN POSSIT ALIQUIS ESSE CERTUS DE SUA PRAEDESTINATIONE

Circa praedestinationis certitudinem fuit haeresis Luteranorum asserentium citra omnem revelationem posse nos esse certos de nostra praedestinatione; quod probant primo quia possumus esse certi quod simus in gratia et certi etiam sumus quod gratia semel habita nunquam amittitur ergo certi possumus esse quod sumus praedestinati, quia certitudo perseverantiae infert certitudinem praedestinationis.

Haec tamen sententia cum suis fundamentis manifeste pugnat cum fide et in primis quod non possimus esse certi quod simus in gratia non est huius loci probare; probant autem theologi 1-2 q. 112 a. 5; secundum autem probant 2-2 q. 24 a. 1 et definitur in CLEMENTINA ad numerum De haereticis; docet etiam CONCILIUM TRIDENTINUM sessione 6 canone 23, et colligitur ex Litteris Sacris in quibus significatur Saul iam circumcisum peccasse; idem etiam de Petro colligitur qui in Cena fuit iustus et postea Dominum negavit; item etiam de Davide. Et ratione convincitur haec sententia quia postquam quis comparavit gratiam manet potens mortali er peccare et per peccatum mortale excluditur gratia, ergo gratia semel acquisita potest amitti; minor certa est nisi quis fuerit confirmatus in gratia.

Quare sit conclusio: nullus potest esse certus certitudine infallibili de sua praedestinatione citra revelationem sibi specialiter factam. Sic docet D. TH. in solutione ad 4m. et CONCILIUM TRIDENTINUM sessione 6 canone 12 et 15 ubi dicitur nullum posse esse certum de sua praedestinatione nisi speciali revelatione aliquibus, quos Deus sibi elegerit, notum fiat; idem docet [6v] BERNARDUS SERMONE 10 IN SEPTUAGESIMAM ubi dicit *quis potest dicere ego de electis sum, ego de praedestinitis ad vitam, dicente Scriptura nemo scit an odio vel amore dignus sit*; docet AG(USTINUS) lib. DE DONO PERSEVERANTIAE in principio, HIERO(NIMUS) lib. 2 CONTRA IOVINIANUM; favet illud PROV. 17 *ne glorieris in crastinum ignorans quid tibi futura parat dies* et illud *omnia in futurum sevantur incerta* ECCL. 9

Et ratione probatur quia nullus potest esse certus de sua gratia, ergo multo minus de sua perseverantia in gratia, ergo neque de sua praedestinatione; antecedens probatur a theologis loco citato in 1-2, consequentia probatur quia perseverantia dependet ex multis eventibus futuris et contingentibus quae non sunt nobis certa, ergo neque perseverantia ipsa. Secundo quia possemus esse certi de nostra praedestinatione maxime autem per effectum eius proprium, scilicet, perseverantiam aut per ipsammet praedestinationem aut per eius causam; non primum quia perseverantia, ut dictum est, dependet ex eventibus nobis ignotis; non secundum quia praedestinatio est actio in divino intellectu existens et nobis citra revelationem ignotam; non tertium quia causa praedestinationis nostro modo intelligendi est divina voluntas libera quae nobis esse nota non potest; igitur praedestinatio citra revelationem nequit alicui esse certa.

Rogabit tamen quis an saltem possumus esse certi de nostra praedestinatione certitudine morali et fallibili. Respondetur quod possumus esse certi hac certitudine ex signis atque ex coniecturis quantum sufficiat ad assentiendum quod sumus praedestinati; unde Sancti plurima afferunt signa ad ostendendum hanc certitudinem moralem praedestinationis: GREGO(RIUS) 34 lib. MORALIUM c. 23 evidentissimum signum, inquit, est reprobatorum superbia electorum vero humilitas; BERNARD(US) SERMONE 2 IN OCTAVAM PASCHAE non sine consolatione reliquit electos suos; docet etiam CIPRIAN(US) DE BONO PATIENTIAE sermone 3; HIERON(IMUS) ADVERSUS VIGILANTIUM. Haec tamen certitudo non sufficit excludere omne dubium, sufficiens tamen est ad excludendum tristitiam sive anxietatem quae solet ex incertitudine praedestinationis provenire.

Diximus citra specialem revelationem, quoniam revelatio generalis non fit omnibus praedestinatibus neque credendum facile est alicui fuisse specialiter factam hanc revelationem nisi aut ratione sufficienti constet aut fide digno testimonio; certum tamen est de facto fuisse factam revelationem aliquibus tam in Veteri quam in Novo Testamento; in Veteri quidem fuit facta revelatio Abrahae GEN. 15: *ego protector tuus sum etc. Ibis sepultus in senectute bona;* et Moisi Exo 33. *invenisti gratiam etc. et ego ex nomine tuo cognovi te;* fuit etiam facta Eliae ut constat ex 4 REG. 20; *fuisse etiam factam Beatissimae Virgini colligunt theologi ex illis verbis: gratia plena Dominus tecum. [7r] benedicta tu etc.* In Novo autem Testamento facta fuit revelatio Paulo, ad ROM. 8: *certus sum quod ne-*

que mors neque tribulatio etc. Eidem facta fuit de praedestinatione Clementis et aliorum, illis verbis: *quorum nomina scripta sunt in libro vitae* ad PHIL. 4. Facta fuit etiam discipulis, Luc. 10: *gaudete quia nomina vestra scripta sunt in caelis*; et reliquis Apostolis, Luc. 6: *quoniam nomina vestra scripta sunt in caelis*, quae omnes revelationes speciales fuere.

An autem possit quis esse certus de sua reprobatione inferius videbimus.

Circa solutionem ad primum poterat esse difficultas an Deus praedefiniat actus liberos nostros; haec tamen in generali pertinet ad quaestionem 19 a. 8; de actibus autem qui sub praedestinatione cadunt specialiter disputabimus inferius; et haec in hoc articulo.

Articulus 2. Utrum praedestinatio ponat aliquid in praedestinato

Prima conclusio: praedestinatio secundum se nihil ponit in praedestinato sed in praedestinante.

Secunda conclusio: praedestinatio pro executione sumpta aliquid ponit in praedestinato, quoniam passive est in praedestinato, active autem in praedestinante.

Sensus quaestionis est an denominatio qua quis denominatur praedestinatus sit denominatio intrinseca proveniens a forma inherente praedestinato ipsi, an vero sit denominatio extrinseca proveniens ab extrinseca forma existente in alio, scilicet in Deo. Cui respondet S. TH. per primam conclusionem quod praedestinatio secundum se nihil ponat in praedestinato ac si dicat quod praedestinatus denominatur talis a forma existente in alio, scilicet, in Deo sicut res cognita aut intellecta talis denominatur a cognitione sive intellectione existente in alio, scilicet, in intellectu, sed quia executio praedestinationis, quae dicitur gubernatio, est actio transiens sicut executio actus per opera externa, et actio transiens simul cum effectu recipiatur in passo, ideo D. TH. in secunda conclusione docet praedestinationem pro executione sumptam active esse in praedestinante, passive vero in ipso praedestinato, quibus verbis non significat D. TH. eandem transeuntem actionem esse in creatura praedestinata et in Deo praedestinante ut in subiectis sed quod prius activum illius actionis quod est actio praedestinandi est in Deo velut

in subiecto, at vero actionem ipsam transeuntem esse in creatura praedestinata.

Circa hunc articulum, in quo D. TH. disputat de effectibus praedestinationis, videndum nobis est quot et qui sint eius effectus; unde sit prima quaestio.

QUAESTIO 1. AN VOCATIO SIT EFFECTUS PRAEDESTINATIONIS

Nomine vocationis intelligimus quamcumque cognitionem sive illustrationem aut admonitionem [7v] tam internam quam externam etiam praevenientem nostram libertatem in ordine ad finem supernaturalem. OCCAM in 1 d. 41 q. 1; GAB (RIEL) q. 1 conclusione prima asserunt vocationem non esse effectum praedestinationis: putant enim praedestinationem et providentiam versari solum erga finem. Probant primo quia nihil commune reprobis et praedestinis potest esse effectus praedestinationis, alias in reprobo esset etiam effectus praedestinationis, sed vocatio est communis reprobis et praedestinis, omnes enim vocantur ad vitam aeternam, ergo vocatio non est effectus praedestinationis; secundo quia id quod est simul cum peccato mortali non potest esse effectus praedestinationis, quia is qui est sub peccato mortali non potest esse efficaciter ordinatus ad vitam aeternam sicut ordinatur per praedestinationem, sed vocatio potest esse in homine simul cum peccato mortali, ergo vocatio non est effectus praedestinationis.

Nihilominus dicendum est vocationem esse effectum praedestinationis. Probari solet haec conclusio ex illo ad Rom. 8: *quos praescivit et praedestinavit etc. hos et vocavit*, quamvis auctoritas haec non probet efficaciter intentum. Conveniunt in hac conclusione D. TH. in hoc articulo; CAI (ETANUS) ibidem; MARSIL (IUS) q. 41; CAMERARIUS c. 1 et 3; MOLINA q. 23 a. 1 et 2; CARTHAGENA discurso tertio. Et ratione probatur haec veritas, quia quidquid conducit efficaciter ad consecutionem gloriae est ordinatus per praedestinationem et effectus illius, sicut quidquid conducit ad sanitatem consequendam est effectus prudentiae dirigentis media in sanitatem, sed vocatio conducit efficaciter ad consecutionem gloriae, ergo vocatio est effectus praedestinationis.

Quod si quis obiiciat quod omnis effectus praedestinationis debet esse in nostra potestate, cum per praedestinationem non auferat

Deus a nobis nostram libertatem, sed vocatio non est in nostra potestate, cum praeveniat nostram libertatem, ergo non est effectus praedestinationis. Hoc argumento convincuntur plures Thomistae ad asserendam vocationem secundum se sive ut praevenit nostram libertatem non esse effectum praedestinationis sed tantum prout est efficax et dependens ex libera nostra voluntate; quod et probant secundo quia eadem vocatio nequit provenire ex duplici providentia sicut idem sensibile non potest provenire ab homine ut homo est et ut animal est, sed vocatio praeveniens nostram libertatem provenit ex providentia supernaturali communi reprobis et praedestatis, ergo eadem vocatio non potest esse effectus praedestinationis.

Sed nihilominus cum omnibus doctoribus asserendum est vocationem etiam praevenientem nostram libertatem esse effectum praedestinationis; quod probatur manifesta ratione quia ex voluntate efficaci dandi gloriam quae propria est praedestatis non tantum voluit Deus hominem efficaciter vocari ad vitam aeternam sed etiam voluit simpliciter vocare [8r] ea vocatione qua sciebat hominem responsurum, imo aliquando vocatione qua sciebat non esse hominem responsurum, sed omnis ordinatio sive voluntas mediorum supernaturalium in ordine ad vitam aeternam efficaciter assequendam est effectus praedestatio, ergo vocatio illa etiam praeveniens nostram libertatem est effectus praedestinationis. Unde ad argumentum huius sententiae THOMISTARUM respondetur negando omnem effectum praedestinationis in nostra esse potestate, quia prima cognitio cuiuscumque obiecti necessaria est in nobis et non libera, unde et prima vocatio, cum sit prima cognitio, non est in nostra potestate, non quia praedefinita sit a Deo ut argumentum assumit sed potius quia nostram libertatem praevenit. Ad secundum respondetur negando antecedens, quia eadem ratio effectus quamvis non sub eadem ratione sub qua potest a causa universali et a particulari provenire tamquam a subordinatis, non tamen sub eadem ratione sub qua, sic etiam eadem vocatio potest provenire ex providentia generali supernaturali tamquam ex causa superiori quae producit etiam vocationem in reprobo et ex praedestinatione tamquam ex causa inferiori quae tantum causat vocationem in praedestinato, sic etiam idem sensibile producitur ab animali anquam a causa superiori et inadequata in homine, ab homine vero tamquam a causa adequata qui solum in se ipso producit.

Sed rogavit quis an omnis vocatio sit effectus praedestinationis. Respondetur quod si vocatio sit continuata usque ad gloriae consecutionem in se vel in suo effectu, iustificatione inquam et perseverantia, est quidem effectus praedestinationis, si autem neque in se neque in suo effectu saltem in recordatione praedestinati ratione cuius ferventius postea respondeat non fuerit continuata erit effectus providentiae supernaturalis generalis non autem praedestinationis, quia non conducit efficaciter ad gloriam.

Ad argumenta GAB(RIEL): ad primum respondetur quod quamvis eadem vocatio secundum speciem et substantiam sit in reprobis et in praedestinato non tamen in utroque est effectus praedestinationis sed in reprobis est effectus tantum providentiae supernaturalis generalis adiuncta voluntate inefficaci, in praedestinato vero erit effectus huius providentiae supernaturalis generalis; quod si quis obiciat quod vocatio non potest esse effectus providentiae supernaturalis generalis quia omnes qui vocantur iustificantur et hi glorificantur secundum illud Paul(i) ad Rom. 8: *quos praescivit et praedestinavit etc. hos et vocavit etc.*; sed respondetur falsum esse antecedens, falsum enim est reprobos non vocari et iustificari quia non glorificantur, oppositum enim docet CONCILIUM TRIDENTINUM sessione 6 canone, 1 et AUG(USTINUS) lib. DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 17 falsum etiam esse omnes qui vocantur iustificari et qui iustificantur glorificari, alias homo vocatus non posset non respondere aut iustificatus non posset amittere gloriam aut damnari, cuius oppositum supra diximus et colligitur ex illo MATH. *multi sunt vocati pauci vero electi*; unde PAUL(US) eo loco [8v] loquitur solum de praedestinis. Ad secundum argumentum respondetur negando antecedens, quia quamvis per omnes effectus praedestinationis perfecte homo ordinetur in gloriam et ideo omnes simul non possunt esse cum peccato non tamen ordinatur perfecte in gloriam per quemcumque effectum praedestinationis sed solum per iustificationem et perseverantiam, quae repugnant peccato, per vocationem autem ordinatur solum remote et dispositive ac proinde non necesse est pugnet cum peccato.

QUAESTIO 2. AN IUSTIFICATIO ET GRATIA IUSTIFICANS SINT EFFECTUS PRAEDESTINATIONIS

Quia de lege non contingit iustificatio sine gratia tota dispu-

tatio reducitur ad ipsam gratiam, nomine autem gratiae intelligimus gratiam habitualement iustificantem, virtutes morales infusas atque theologicas, auxilium ultimo disponens ad gloriam, merita et perseverantiam et in universum quae media sunt inter vocationem et glorificationem. Duplex autem confertur nobis gratia: altera quae permanet usque ad gloriam, altera quae interrumpitur per peccatum. Primo quidem dubitandum est de prima sitne effectus praedestinationis. GAB(RIEL) in 1 d. 41 q. 1; OCCAM ibidem docent non esse effectum praedestinationis, quia putant glorificationem solam esse effectum praedestinationis. Probant quia id sine quo potest homo consequi gloriam non est effectus praedestinationis, sed sine gratia de potentia Dei absoluta potest homo consequi gloriam, ergo gratia non est effectus praedestinationis. Sed dicendum nobis est gratiam esse effectum praedestinationis. Quod colligitur ex illo PAUL(I) ad ROM. 8 ubi iustificationem nulla excepta enumerat inter effectus praedestinationis; ita docet S. TH. in hoc articulo; GREGO(RIUS) in 1d. 40 q. 1 a. 1; MARSIL(IUS) q. 41 a. 2 et colligitur ex definitione praedestinationis quam tradit AUG(USTINUS) lib. DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 10; quod praedestinatio sit propositum dandi gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Et ratione est manifestum quia quicquid iuvat efficaciter ad gloriam est effectus praedestinationis, sed inter omnia alia maxime iuvat gratia non interrupta, ergo illa erit effectus praedestinationis. Ad argumenta GAB(RIELIS) respondetur quod tantum asserimus gratiam esse effectum praedestinationis quando praedestinatus per gratiam fuerit ad gloriam, quod semper de lege contingit.

Maiores difficultates est de gratia quae interrupta est per peccatum mortale. GABRIEL et OCCAM locis citatis negant esse effectum praedestinationis, quibus assentiri videtur CARTHAGENA discusso tertio; ait enim quod gloria, si accipiatur prout qualitas est et interrupta sit per peccatum, non est effectus praedestinationis; si autem accipiatur prout est acceptatio ad gloriam concedit esse effectum. Primum horum probatur quia gratia prout est qualitas semel interrupta per peccatum non resurgit eadem numero per penitentiam sed alia, ergo illa quae interrupta fuit nihil conducit ad gloriam ac proinde non erit effectus praedestinationis; secundum probatur quia gratia ut est acceptatio ad gloriam non omnino perit per peccatum mortale sed manet in divina acceptatione et reparatur per penitentiam [9r] et remuneratur in gloria, ergo gratia ut acceptatio, etiam

si interrupta fuerit, est effectus praedestinationis. Alii vero sic probant quia gratia illa communis est reprobis et praedestinatio sicut vocatio; secundo quia si gratia haec esset effectus praedestinationis esset efficaciter volita et nunquam interrupta sicut non est interrupta gloria; tertio quia gloria innocentiae, a qua cecidit primus parens, non fuit effectus praedestinationis eius, quia primus parens fuit praedestinatus per Christum, gratia autem illa data fuit ante praevisum et praedeterminatum Christum, ergo gratia illa non fuit effectus praedestinationis.

Sed dicendum nobis est gratiam etiam habitualement interruptam per peccatum esse effectum praedestinationis. Ita docent fere omnes doctores et colligitur ex illo ad Rom. 8 citato et ratione etiam ostenditur quia gratia illa interrupta per peccatum iuvat efficaciter ad assecutionem gloriae, ergo est effectus praedestinationis; probat antecedens quia aut illa gratia fuit principium meritorum quae post peccatum manent in acceptatione divina et postea in gloria remunerantur aut saltem ex inordinatione gratiae deperditae praedestinatus resurgit cautior aut ad maiorem gratiam aut saltem quod verius existimo, per penitentiam resurgit eadem gratia quae fuit amissa, non quidem eadem numero, sed quia praeter gratiam respondentem dispositioni in qua resurgit penitens datur illi tanta gratia quanta fuerat amissa per peccatum virtute prioris gratiae et per consequens virtute illius datur maior gloria, conducit ergo efficaciter ad gloriam ac proinde effectus erit praedestinationis; neque obstat si dicas quod gratia quae non est non potest efficaciter iuvare in gloriam, sed gratia illa amissa iam non est, ergo. Sed respondetur quod, quamvis in se ipsa non permaneat, permanet tamen aut in merito tanquam in eius effectu aut in gratia quae datur per penitentiam virtute ipsius et hoc est satis ut dicatur efficaciter iuvare ad gloriam.

Ad argumenta facta respondetur. Et ad primum primae sententiae constat ex dictis solutio. Secundum autem non est contra nos. Ad primum alterius sententiae respondetur quod tantum probat gratia non provenire solum ex praedestinatione sicut esse bipedem non solum provenit ex homine sed sicut bipes in homine ab homine causatur sic etiam gratia in praedestinato causatur per praedestinationem, quamvis in reprobis sit effectus providentiae supernaturalis generalis. Ad secundum respondetur negando sequentiam quia gloria non est perpetua et inamissibilis eo quod sit effectus prades-

tionis sed quia consistit in clara intuitione Dei quae necessario habet annexam rectitudinem voluntatis; unde non sequitur quod gratia sit inamissibilis quia sit effectus praedestinationis. Ad tertium respondendum est inferius, cum disputemus an nostra praedestinatio supponat [9v] Christi praedestinationem, interim tamen negandum est gratiam illam innocentiae non fuisse datam per Christum primo parenti.

QUAESTIO 3. AN GLORIFICATIO SIT EFFECTUS PRAEDESTINATIONIS.

Nomine glorificationis intelligimus visionem beatificam et dotes tam animae quam corporis et lumen ipsum gloriae quod est visionis causa.

DURAND(US) in 1 d. 41 q. 2 numero 10 existimat glorificationem non esse effectum praedestinationis. Quod probat ipse quia praedestinatio est species providentiae et providentia species prudentiae, sed prudentia tantum versatur erga media, ergo et praedestinatio, at glorificatio non est medium sed finis, ergo non versatur erga glorificationem.

Alii tamen docent simpliciter glorificationem esse effectum praedestinationis. Ita S. TH. et CAI(ETANUS) in hoc articulo; GABRIEL et OCCAM locis citatis. Quod probant quia perfecta providentia non solum versatur erga media sed etiam erga finem eo quod perfecta providentia assequitur finem et ex imperfectione nostrae providentiae provenit quod non semper assequatur finem, sed praedestinatio est perfecta providentia Dei, ergo semper assequitur finem qui est glorificatio. Secundo probant quia omnia bona supernaturalia praedestinati proveniunt illi ex praedestinatione, sed potissimum bonum est glorificatio, ergo praedestinati glorificatio est effectus praedestinationis. Probant etiam ex illo ad ROM. *quos praescivit et praedestinavit etc. hos et glorificavit*, nam quamvis quidam Patres loco illius verbi *glorificavit* legant *magnificavit* in hac vita per virtutes et merita, communis tamen lectio est *glorificavit* aut *magnificavit* in gloria.

Alii vero distinguendum putant in hac difficultate, nam duplex est ordinatio et voluntas in Deo praedestinante, altera erga gloriam conferendam quae pertinet ad intentionem finis, altera circa media ordinanda in gloriam. Dicunt, ergo, quod si praedestinatio accipiatur

ut est ordinatio tam erga media quam erga finem re vera glorificatio est effectus praedestinationis, quia neque ordinatio neque voluntas erga media habent pro obiecto gloriam ipsam. Sed quia ordinatio tantum et voluntas quae versatur erga media, supposita intentione finis, re vera est praedestinatio, ideo haec sententia non defendit glorificationem esse effectum praedestinationis. Propterea aliter dicendum nobis est quod glorificatio, prout in executione, est effectus praedestinationis. Duplex enim ordinatio et voluntas concipitur [10r] a nobis in Deo circa media ad gloriam, supposita intentione dandi gloriam; altera est quae versatur erga media ipsa in se ipsis, scilicet, circa vocationem, iustificationem et perseverantiam et huius ordinationis et voluntatis glorificatio est effectus remotus et non proximus, cuius ratio est quia perseverantia est effectus huius ordinationis et glorificatio perseverantiae, ergo de primo ad ultimum glorificatio erit effectus huius ordinationis et voluntatis. Alio modo accipi potest praedestinatio prout est ordinatio et voluntas dandi gloriam in executione tanquam praemium meritorum et perseverantiae quae praevidentur et huius voluntatis effectus proximus est glorificatio in executione; unde quia haec ordinatio comprehenditur sub praedestinatione ideo absolute dicendum est glorificationem esse effectum praedestinationis.

Obiiciet tamen quis: ante utramque voluntatem istarum praecessit in Deo voluntas efficax dandi gloriam, ergo praeter illam non est necessaria alia voluntas dandi gloriam in executione aut illa prior non fuit satis efficax. Sed respondetur quod voluntas illa dandi gloriam quae praecessit in Deo per modum intentionis nihil ponit immediate in nobis sed eius efficacia consistit in movendo Deum nostro modo intelligendi ad electionem mediorum et ideo praeter illam fuit necessaria alia voluntas dandi gloriam in executione quae pertinet ad praedestinationem; cuius ratio est quia merita et perseverantia non sunt causa phisica glorificationis, sicut medicina est causa sanitatis, sed sunt causa moralis tantum et ideo exigitur alia voluntas ad exequendam ipsam glorificationem; unde sequitur quod duae sententiae supra citatae DURAND(I) et THOMIST(ARUM) non sint sibi contrariae, nam DURAND(US) accipit praedestinationem solum pro ordinatione mediorum et ideo negat glorificationem esse praedestinationis effectum quod verum est loquendo de effectu proximo; THOMIST(AE) vero accipiunt praedestinationem pro ordinatione mediorum simul cum electione atque etiam pro ordinatione et voluntate

dandi gloriam visis iam meritis atque adeo recte asserunt glorificationem esse effectum praedestinationis.

Circa has tres quaestiones notandum est quod cum dicimus vocationem, iustificationem et glorificationem esse effectus praedestinationis non sic est intelligendum quod in omnibus praedestinatis sint huiusmodi tres effectus, quoniam in parvulis non reperitur primus, scilicet, vocatio, sed intelligendum est quod in omnibus praedestinatis in quibus inveniuntur vocatio, iustificatio et glorificatio omnes sunt effectus praedestinationis. Secundo notandum est quod ex tribus effectibus praedestinationis quidam fiunt a Deo non cooperante libero nostro arbitrio sicut vocatio prima et iustificatio in parvulis, quidam fiunt cooperante libero nostro arbitrio, ut iustificatio adulti et perseverantis in gratia, iuxta id quod docet CONCILIUM ARAUSICANUM SECUNDUM canone 20: multa bona sunt in homine quae non facit homo nulla tamen bona sunt quae non praestet Deus ut faciat homo [10v]

QUAESTIO 4. AN BONA NATURALIA SINT EFFECTUS PRAEDESTINATIONIS

Ratio dubitandi in hac quaestione est quia effectus praedestinationis aut sunt gloria aut quod efficaciter causat gloriam, sed bona naturalia nec gloria sunt neque efficaciter possunt causare gloriam, eo quod naturalia non attingunt ad causandum supernaturalia, ergo non sunt effectus praedestinationis. Secundo quia finis supernaturalis supponit finem naturalem sicut gratia supponit naturam, ergo supponit etiam facta media et bona naturalia, ergo non fiunt per praedestinationem.

Sed nihilominus dicendum nobis est plurima bona naturalia esse effectus praedestinationis. Ita docent DRIEDO, DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII ET PRAEDESTINATIONE p. 1 c. 1; DURAND(US) in 1 d. 41 q. 2 n. 7; SCOT(US), GREGOR(IUS) et MARSIL(IUS) ibidem; CORDUBA lib. 1 QAESTIONA(RII) q. 56 s. 6; huiusmodi autem bona naturalia sunt boni eventus, bona parentum educatio, quod praedestinatus non moriatur in peccato mortali, quod non incitetur ad peccandum, recordatio mortis et alia similia bona. Et ratione communi probatur quia ipsa bona naturalia sunt proximae occasiones efficaciter conducentes ad assecutionem gloriae, ergo. Unde S. TH. 2-2 q. 27 a. 2 ad 2m. docet bona naturalia esse etiam obiectum

spei supernaturalis et 1-2 q. 114 a. ultimo docet haec bona posse cadere sub merito de condigno in quantum ordinantur ad vitam aeternam, quia hac ratione induunt rationem quandam spiritualitatis; unde per orationes communes Ecclesiae petuntur ab Ecclesia. Et colligitur haec conclusio ex illo ad Rom. 8: *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, adiuncta interpretatione HIERONI(MI), ANSELM(I), CAI(ETANI), VIGERII eodem loco docentium praedestinationis omnia cooperari in bonum tam prospera quam adversa.

Sed difficultas est an haec bona naturalia sint secundum substantiam facta per praedestinationem an vero facta supponantur per providentiam naturalem et per praedestinationem eleventur ad finem supernaturalem. CAI(ETANUS) 3 p. q. 1 a. 3 ad 4m. docet non fieri secundum substantiam per praedestinationem sed iam alias facta ordinari et elevari, quod probat ipse quia ad finem supernaturalem secundum substantiam solum fiunt secundum substantiam quae substantialiter sunt supernaturalia, sed finis praedestinationis est secundum substantiam supernaturalis, ergo ex illo solum fiunt secundum substantiam bona substantialiter supernaturalia, bona autem naturalia solum eleventur et ordinantur.

Sed nobis distinguendum est nobis (sic), bona enim naturalia sunt in duplici differentia: quaedam sunt res ut distinguuntur contra eventus sive motiones quas causant in appetitu et sensu nostro quibus excitamur ad bonum, quaedam vero sunt eventus aut motiones quibus movetur appetitus naturaliter aut sensus ad bonum; si de prioribus loquamur conveniunt omnes non esse facta per [11r] praedestinationem secundum substantiam, quia bona haec sunt remotae occasiones quae iuvent ad vitam aeternam et ideo satis est quod illis utatur Deus in ordine ad finem supernaturalem, non autem necesse est quod secundum substantiam fiant propter supernaturalem finem. Si autem de secundo genere bonorum loquamur conveniunt quamplurimi ex theologis fieri secundum substantiam per praedestinationem, quorum ratio est quia bona haec secundi generis sunt proximae occasiones boni ordinati in vitam aeternam neque ex alio fine videntur facta quam ex voluntate dandi vitam aeternam; unde ad argumentum CAI(ETANI) respondetur negando antecedens sed potius in ordine ad finem supernaturalem secundum substantiam fiunt tam media substantialiter supernaturalia quam ea quae secundum substantiam naturalia sunt sive serviant ad vitam aeternam sive ut causa sive ut dispositio sive ut occasio pro-

xima, qua ratione bona naturalia deserviunt. Ad primum pro ratione dubii negatur antecedens; satis enim est ut fiat aliquid in ordine ad gloriam tamquam medium quod sit aut dispositio aut occasio, ut diximus. Ad ultimum respondetur quod supernaturalia solum supponunt ea bona naturalia quae facta sunt propter finem naturalem, sed plurima facta sunt ad consequendum finem naturalem.

QUAESTIO 5. AN MALA OMNIA SINT EFFECTUS PRAEDESTINATIONIS IN PRAEDESTINATIS.

De tribus malis potest esse dubitatio: de malo scilicet naturali aut poenae, secundo de malo culpae, tertio de permissione peccati quae coniuncta est malitiae morali.

Conveniunt omnes primo mala naturalia sive poenae esse effectum praedestinationis; talia sunt tribulatio quaecumque, morbus et alia similia mala. Ratio est quia malum poenae de se quoddam bonum est atque adeo potest esse volitum a Deo ut cautius vivamus aut excitemur ad penitentiam ex fine dandi nobis gloriam et ideo possunt esse effectus praedestinationis, quamvis quaedam sunt mala quae effectus praedestinationis esse non possunt, sicut poena damni aeterna.

Difficultas tantum est de malo culpae an sit effectus. Ratio dubitandi est quia bona naturalia et malum poenae ideo sunt effectus praedestinationis quia sunt occasio meriti et penitentiae, quae sunt media ad vitam aeternam, sed etiam malum culpae est occasio penitentiae, cum saepe contingat dolere de culpa commissa, ergo malum culpae est effectus praedestinationis. Secundo quia super illud ad ROM. 8: *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* asserunt GLOSSA, ANSELMUS, D. TH. et CAI(ETANUS) etiam peccata cooperari in bonum, ergo etiam peccata possunt esse effectus praedestinationis.

Dicendum tamen nobis est mala culpae non esse effectus praedestinationis. Ita sentiunt doctores omnes. Ratio vero quae hoc probat est evidens quia omnes effectus praedestinationis debent esse facti et voliti a Deo, sed malum culpae nec potest esse factum nec volitum a Deo secundum illud [11v] Deus peccatum non fecit nec delectatur in perditione morientium, ergo malum culpae non est effectus praedestinationis. Secundo quia si malum culpae posset esse effectus praedestinationis maxime quia potest ordinari in bo-

num a Deo aut potest fieri propter bonum, sed de se malum culpae non ordinatur in bonum sed potius est de se impeditivum boni nec potest esse factum propter bonum a Deo quia non sunt facienda mala ut inde eveniant bona, ergo non est effectus praedestinationis.

Hanc veritatem docet CONCILIUM ARAUSICANUM II can. ultimo anathematizando eum qui dixerit homines praedestinari a Deo in malum; et FULGENTIUS lib. 1 DE PRAEDESTINATIONE dicens homines non praedestinari a Deo in malum.

Pro solutione argumentorum advertendum est quod ut aliquid sit effectus praedestinationis duo habere debet: primum est quod iuvet ad vitam aeternam assequendam, secundum quod sit volitum a Deo ex intentione dandi gloriam et, quia malum culpae nec iuvat ad assequendam gloriam neque est volitum ex intentione dandi gloriam praedestinatis, ideo nullo modo concedendum est malum culpae esse effectum praedestinationis neque concedendum est esse effectum providentiae, quia non est praeordinatus per providentiam. Nam, quamvis DURAND(US) in 1. d. 39 q. 3 n. 10, AEX(ANDER) 1p.q. 36 membrum 4 a. 1, FERRA(IENSIS) 3 CONTRA GENTES c. 71 dixerint cadere peccata sub providentia Dei, dicunt tamen cadere tamquam destruenda sicut nos dicimus alimentum cadere sub obiecto nutritivae potentiae; aut docent cadere sub providentia tamquam prima causa qua Deus aliquid ordinat, quia praeviso peccato ordinat Deus conferre homini beneficium penitentiae, omnes tamen negant peccata cadere sub providentia tamquam effectus eius.

Ad primum respondetur aliam esse rationem de bono temporali aut malo poenae, quia bonum temporale aut malum poenae de se non repugnant beatitudini consequendae, quamvis secundum substantiam suam non pertineant ad ordinem praedestinationis sed necessario et primo possunt ordinari a Deo ad finem supernaturalem, mala vero culpae nec possunt ordinari in bonum nec volita esse propter bonum sed potius visis illis et viso peccatore in miseria peccati vult illi misereri Deus et aliqua conferre bona ex nimia sua misericordia secundum illud AUG(USTINI): adeo Deus bonus est ut non permitteret mala nisi inde posset elicere bona. Ad secundum respondetur quod ille locus PAULI intelligitur ab AMBRO(SIO), HIERO(NIMO) et CHRISOST(OMO) ibidem de tribulationibus huius saeculi, si tamen iuxta citatos doctores intelligatur etiam de peccatis ut etiam peccata dicantur cooperari in bonum, intelligendus est locus ille hoc modo, non quod peccata ex se sive ex sua condignitate cooperentur in bo-

num, ex se enim peccata sunt occasiones per accidens dandi bonum, sed ex Dei misericordia, ut diximus, provenit ut peccatori bona conferantur.

Difficultas est modo de permissione culpae an sit effectus praedestinationis. Et ratio dubitandi est quia si esset effectus praedestinationis licitus esset nobis desiderare permissionem sicut licitum [12r] est desiderare alios effectus praedestinationis, at nobis non licet quia esset desiderare peccatum ipsum permissum, ergo permissio non est praedestinationis effectus.

Dicendum tamen nobis est permissionem effectum esse praedestinationis in praedestinitis. Quod inde constat quia aliquando vult Deus hominem labi in peccatum ut resurgat ad maiorem gratiam et assequatur maiorem gloriam secundum illud AUG(USTINI) 14 DE CIVITATE DEI c. 23 ubi ait: audeo dicere utile esse superbis incidere in aliquod manifestissimum peccatum ut sibi displiceat quod sibi placendo ceciderant et affert illud PSALM. 82: *imple facies eorum ignominia et quaerent nomen tuum Domine*. Tum etiam quia saepe permittit Deus peccata in aliquibus ut praedestinati exerceantur in operibus virtutis secundum illud ad ROM. 11: *eorum delictum salus est gentibus*. Sic etiam intelligendus est locus ad ROM. 94: *volens Deus ostendere iram suam* etc.

Ad argumentum factum respondetur negando sequentiam; non enim licet nobis desiderare quodcumque potest Deus facere, mortem enim parentum et similia potest Deus facere non tamen licet nobis desiderare. Quod si dicas saltem licitum esse permissionem desiderare propter bonum spirituale praedestinitis aut propter eum finem propter quem Deus vult permittere, sicut licitum est mortem desiderare parentum propter bonum spirituale ipsorum aut propter eum finem propter quem Deus illam vult, cum liceat nobis conformare nostram voluntatem cum divina in voluto finali. Sed respondetur neque hac ratione licere, quamvis licitum sit Deo permittere, cuius differentiae ratio est quia ex permissione Dei efficaci non sequitur peccatum quatenus est ex divina voluntate et ideo licitum est Deo permittere, sequitur autem peccatum ex permissione in quantum est ex nostra voluntate libera operante et ideo desiderare permissionem esset desiderare peccatum; unde quamvis positiva possimus desiderare non tamen ea quae necessario coniuncta sunt culpae atque adeo neque positivum peccati licet desiderare. Quod si obiicias quod permittere nihil aliud est quam hominem relinquere in sua libertate

te, sed licet nobis desiderare nostram libertatem, ergo licet desiderare permissionem. Multi sunt qui sentiant permittere nihil aliud esse quam hominem liberum relinquere, mihi tamen non apparet verum quia etiam in actibus virtutis invenitur perfecta libertas non tamen permissio, sed permittere nihil aliud est quam non prohibere peccatum cum potestate prohibendi per abundantiora auxilia; sic enim iudex peccatum permittit exterius quando non punit aut prohibet, cum tamen posset punire aut prohibere.

[12v]

Articulus 3. Utrum Deus aliquem hominem reprobet.

Conclusio es affirmativa.

QUAESTIO 1. AN CERTUM SIT ALIQUOS HOMINES REPROBARI A DEO AN VERO OMNES SINT PRAEDESTINATI

Cum reprobatio quodam modo sit contraria praedestinationi videtur quod si omnes homines sint praedestinati nullus sit reprobus atque adeo falsum sit aliquos reprobari a Deo.

Videtur imprimis quod omnes sint praedestinati, quia ut colligitur ex PAUL(O) 1 AD TIM. 2: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Tum etiam quia Christus pro omnibus mortuus est. Et 2 AD COR. 15; *sicut in Adam omnes moriuntur sic in Christo omnes vivificabuntur,* sed omnes moriuntur in Adam, ergo omnes vivificandi sunt in Christo. Et ad ROM. 2 et ACT. 10: *apud Deum nulla est acceptio personarum,* sed plurimi sunt praedestinati, ut visum est, ergo si Deus se habet eodem modo erga omnes nullus est reprobus.

Moderni doctores quidam propter has auctoritates et loca existimant omnes homines esse a Deo praedestinos nullo excepto. Ita sensit ISIDORUS CLARUS oratione 66 et 67 in sermone Domini in monte MATH. 5; et CAMERA c. 4 et 5 sui DIALOGI; IOANNES A BONONIA p. 1 et 2 sui opusculi; OSORIUS lib 9 DE IUSTITIA CAELESTI; CATHARINUS opusculo DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI, ubi asserit omnes homines esse destinatos a Deo in vitam aeternam, quosdam tamen esse ordinatos per eximia et singularia media quibus consequentur infallibiliter vitam aeternam qui tantum appellantur praedestinati, alios vero esse ordinatos per media sufficientia quibus, si velint, assequentur vitam eternam quos asserit appellari tamen destinatos et ipse appellat salvandos; ex his autem salvandis quidam inquit assequen-

tur vitam aeternam, quidam non assequeuntur propter propria demerita; numerus autem eorum qui assequeuntur vitam aeternam ex salvandis non est, inquit, certus in divina providentia et praedestinatione sicut est certus numerus eximie praedestinatorum, est tamen certus in divina praescientia.

Horum autem sententia videtur primo aspectu contra fidem saltem verbis ipsis, re autem cum catholica fide consentit, quia hi doctores, cum asserunt omnes esse praedestinos, tantum volunt in Deo esse voluntatem antecedentem et inefficacem salvandi omnes, quod etiam docuit PAUL(US) 2 AD TIM. 1 et concedunt theologi, et quia ex hac voluntate omnibus confert ea media supernaturalia quibus diriguntur in vitam aeternam ideo asserunt homines homines (sic) esse praedestinos, id est, ordinatos, quia tamen concedunt hi autores quod ex salvandis hominibus quidam assequeuntur vitam aeternam quidam non, ideo revera concedunt catholice aliquos homines esse reprobos alios vero praedestinos. [13r] Et in hoc sensu nihil habet haec sententia contra fidem; unde immerito CORDUBA lib. 1 QUAECTIONARIUM q. 56 rigidissima censura notavit hanc sententiam dicens eam esse phantasticam, erroneam et temerariam et si non maxime haeticam. Displicet tamen in ea primum quod docet CATHARINUS: numerum, scilicet, eorum qui consequuntur vitam aeternam non appellari praedestinos neque eos esse praedestinos cuius ratio est contra ipsum quia praedestinatio nihil aliud est quam ordinatio hominis in vitam aeternam per media quae visa sunt a Deo futura efficacia, sed hi qui consequuntur vitam aeternam ex ordine salvandorum sunt hoc modo ordinati, ergo re vera sunt praedestinati. Secundo quia ex PAUL(o) ad ROM. 8: *quos praescivit Deus conformes fieri imagini filii sui* sunt re vera praedestinati, sed omnes illi qui consequuntur vitam aeternam ex ordine salvandorum praescivit Deus quod essent futuri conformes imagini filii sui, ergo omnes illi sunt praedestinati. Tertio quia APOC. 20 c.: *quotquot missi non sunt in stagnum ignis adscripti sunt in libro vitae*, sed illi qui consequuntur vitam aeternam ex eo ordine secundo re vera non sunt missi in stagnum ignis, ergo sunt adscripti in libro vitae atque adeo praedestinati. Displicet etiam secundum, scilicet, quod numerus eorum qui assequeuntur vitam aeternam ex salvandis non est certus in divina praedestinatione et providentia, quia maxime hoc esset verum quoniam non sunt efficaciter ordinati in vitam aeternam per providentiam supernaturalem aut quia media

dependent ex eorum libertate. Non propter primum, quia consequuntur in effectu vitam aeternam, efficaciter sunt ordinati ad illam, sed hi cum effectu consequuntur, ergo efficaciter sunt ordinati. Non propter secundum quia numerus eximie praedestinatorum ordinatus est per media quae dependent ex eorum libertate, quoniam PAULUS 1 AD COR. 9, quamvis esset ex hoc ordine, dicebat: *castigo corpus meum et in servitutem redigo ne cum aliis praedica-verim ego reprobis efficiar* et tamen certus est numerus istorum secundum CATHERINUM non tamen in divina praescientia sed etiam in praedestinatione, ergo similiter erit certus numerus eorum qui ex salvandis assequuntur vitam aeternam non tantum in praescientia sed in praedestinatione.

Hac ergo ommissa sententia quae verbis videtur fidei adversari tenenda est conclusio de fide, scilicet, quod aliqui hominum reprobantur a Deo, aliqui vero predestinantur, ita ut tota hominum societas divisa sit in praedestinos et reprobos. Conclusio est de fide: MALACH. 1 c. et ad ROM. 9: *Iacob dilexi Esau autem odio habui* ubi per Esau reprobi per Iacob autem praedestinati significantur. Et 2 AD COR. 1: *in magna domu non tantum sunt vasa aurea et argentea sed et lignea et fictilia*, ubi per vasa aurea et argentea intelliguntur praedestinati per alia vero reprobi. Et MATH. 2 c. ubi Christus significatur exercens finale iudicium, quosdam hominum statuit a dextris et in vi [13v] tam aeternam, quosdam a sinistris et in ignem aeternum. Et ad ROM. 8 et 9: per vasa irae et in contumeliam intelliguntur reprobi. Et 2 AD TIM. 2 de praedestinis dicitur *novit Dominus qui sunt eius*. Et MATH. 7 de reprobis dicitur *nescio vos*, scientia, scilicet, approbationis. Et 2 AD COR. 13 dicitur *nisi reprobi sitis spero autem quod cognoscetis quia nos reprobi non sumus*. Id ipsum colligitur ex PAUL(O) 1 AD COR. 9: *castigo corpus meum*, etc. quibus locis quidam reprobi, quidam vero praedestinati significantur. Idem docent theologi in 1 d. 40 et docuit AUG(USTINUS) variis in locis, praesertim 15 DE CIVITATE DEI c. 1 ubi dividit in duas civitates totam huius communitatem: alteram quae praedestinata est in regnum, aliam in ignem. Hoc etiam probat ratio D. TH. quia ad eam providentiam quae dirigit res in finem spectat permittere quasdam deficere a fine, sed homines ordinantur a Deo in vitam aeternam per providentiam divinam, ergo ad eam spectat permittere quosdam deficere a consecutione vitae aeternae;

haec autem permissio est reprobatio, ergo et punire demerita quod est reprobare.

Ad duo loca opposita respondendum est quod ibi tantum significatur in Deo esse voluntatem antecedentem salvandi homines et ita quantum est ex parte Dei omnes homines salvantur sicut omnes in Adam moriuntur, non tamen significatur omnes homines esse praedestinos a Deo. Ad secundum argumentum respondetur in Deo, etiamsi quosdam reprobet, non esse acceptionem personarum, quia omnibus praestat auxilia sufficientia ad assequendam salutem, sed potissima ratio est quia Deus nulli hominum est debitor et ita quicquid praestat ex sua misericordia praestat, optime autem potest unusquisque ea quae propria sunt, prout libuerit, distribuere, u significatur MATH 20 in parabola de conductis ad vineam in illis verbis: *an non licet de meo quod volo facere* et de hac distributione loquens PAUL (US) ad HEBRAE. 9 ait *nunquid iniquitas est apud Deum? absit.*

QUAESTIO 2. AN REPROBATIO SIT ACTUS INTELLECTUS AN VOLUNTATIS

Postquam visum est reprobationem esse, videndum est quid reprobatio sit; sunt qui putent reprobationem esse actum voluntatis divinae non intellectus. Sic DRIEDO DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII ET PRAEDESTINATIONE p. 1 c. 1; GAB(RIEL) in 1 d. 41 q. unica a. 1; MARSIL(IUS) q. 41. Probant hac ratione facili quia reprobare nihil aliud est quam odio habere vel refutare aliquid tamquam malum, sed hoc pertinet ad actum voluntatis, ergo.

Sed nihilominus ex his quae de praedestinatione diximus constat asserendum esse quod reprobatio sit actus intellectus constans actum voluntatis efficacis. Sic sentit D. TH. et CAI(ETANUS) cum eo in hoc articulo ALEX(ANDER) 1p. q.29 membro 2. Et ratio manifesta est quia sicut praedestinatio est ordinatio hominis in gloriam sic reprobatio est ordinatio hominis in poenam utrobique adiuncta voluntate efficaci, et sicut praedestinatio est pars subiectiva providentiae sic reprobatio, ergo sicut praedestinatio est actus intellectus similiter reprobatio.

Si autem quis quaerat in quo actu intellectus consistat respondendum est id quod de praedestinatione diximus: esse, scilicet, actum iudicii connotantis electionem voluntatis divinae quibus ho-

mines ordinantur in poenam. Ad argumentum factum respondetur quod quamvis praedestinatio sit actus intellectus ut significat MATH. 7 et 25 in illis verbis *nescio vos* et ad EPH. 1 in illis verbis *novit Dominus qui sunt eius* notitia scilicet approbationis, tamen quia connotat actum voluntatis aliquando significatur per actum voluntatis ut ad ROM. 9: *Iacob dilexi Esau autem odio habui*, quando autem significatur nomine reprobationis per actum intellectus est ad COR. 1: *prudentiam prudentum reprobo* et PSALM. 32: *reprobat consilia principum*.

Dubitandum tamen est modo an reprobatio sit species distincta a praedestinatione et illi directe opposita. Multi sentiunt directe esse oppositam praedestinationi, videntur hoc probare hac ratione: quia praedestinatio est ordinatio hominis in gloriam, reprobatio vero est ordinatio hominis in carentiam gloriae quae est poena damni, sed istae ordinationes sunt directe oppositae sicut productio rei et corruptio eiusdem, ergo reprobatio directe opponitur praedestinationi.

Sed dicendum nobis est cum DURAND(o) in 1 d. 40 q. ultima et MOLINA q. 23 a. 2 reprobationem non esse directe oppositam toti praedestinationi sed potius, cuidam actui eius, scilicet, approbationi; est enim approbatio iudicium quo propter sua merita iudicatur homo dignus vita aeterna cum voluntate dandi illam, reprobatio vero est iudicium intellectus divini quo iudicatur homo propter eius demerita dignus punitione aeterna cum voluntate puniendi et exequendi, qui duo actus exprimi sunt a Christo in finali iudicio MATH. 25 in illis verbis: *venite benedicti Patris mei accipere regnum* etc. et in illis *ite maledicti in ignem aeternum*. Probatur autem prima pars quia praedestinatio est actus misericordiae nullis suppositis in homine meritis quo actu ordinatur homo in vitam aeternam, at vero reprobatio est actus iustitiae quo iudicatur homo propter sua peccata permissa dignus poena aeterna, sed actus dandi gloriam sine meritis sive ordinandi in illam et actus excludendi a gloria sive puniendi propter peccata praevisa non sunt directe oppositi, ergo reprobatio non opponitur directe praedestinationi.

Si autem quis quaerat rationem propter quam non sint directe contrarii inter se praedestinatio et reprobatio cum ordinentur in contrarios fines respondetur quod per praedestinationem [14v] fit homo dignus vita aeterna ad quam ordinatur, at vero per repro-

bationem non fit homo dignus poena in quam dirigitur, sed supponitur iam dignus et ideo non opponuntur directe.

Quod autem reprobatio sit opposita approbationi probatur quia voluntas puniendi hominem propter propria demerita illum excludendo a gloria opposita est voluntati dandi gloriam propter propria merita, sed iste duae sunt approbatio et reprobatio, ergo reprobatio opposita est directe approbationi.

Ad argumentum supra factum respondetur quod praedestinatio non est ordinatio in gloriam quomodocumque sed efficiendo hominem dignum gloria, at vero reprobatio est ordinatio in poenam non efficiendo hominem dignum poena sed supposita dignitate ex propria voluntate secundum illud *OSEAE 11: perditio tua Israel* etc. quare non sequitur quod sint inter se contrarii directe quamvis ordinentur in contraria.

QUAESTIO 3. IN QUIBUS ACTIBUS INTELLECTUS ET VOLUNTATIS CONSISTAT REPROBATIO.

Conveniunt omnes quod in Deo inveniuntur plures actus intellectus et voluntatis circa reprobos: primo in intellectu invenitur actus qui est praescientia peccati, secundo invenitur ordinatio hominis in poenam; in voluntate vero primo invenitur voluntas permittendi peccatum, secundo voluntas puniendi hominem, tertio potest in Deo excogitari voluntas non dandi gloriam sive excludendi hominem a gloria; dubium igitur est quinam istorum actuum ad reprobationem pertineant.

Conveniunt omnes primo quod ordinatio hominis in poenam et voluntas puniendi pertinent ad reprobationem, quorum ratio est quia uterque actus istorum praesupponit praescientiam peccati ratione cuius homo iudicatur dignus poena aeterna et indignus gloria. Tantum est difficultas de voluntate non dandi gloriam et de voluntate permittendi peccatum, an sint actus reprobationis.

SCOTUS in 1 d. 41 q. 1 paragrapho contra istud; GREGO(RIUS) in 1 eadem d. q. 1 a. 1; DUR(ANDUS) ibidem q. 1 sustinent partem affirmativam et huius sententiae videtur esse S. TH. in corpore huius articuli ubi ait quod permittere hominem deficere a fine est reprobare et in solutione ad 1m. ait quod non velle dare gloriam aliquibus est eos odisse sive reprobase et ratio illorum est quia voluntas non dandi gloriam et permittendi peccatum pertinet ad pro-

videntiam supernaturalem, sed non pertinet ad praedestinationem, quia versatur erga reprobos, neque ad providentiam supernaturalem qua vult Deus omnes homines salvos fieri, quia haec providentia ordinat homines in gloriam, ergo restat ut pertineat ad reprobationem. Iuniores tamen theologi supra citati, scilicet, ISIDORUS, CAMERARIUS, IOANNES A BO [15r] NONIA et CATHERINUS locis citatis et multi cum illis existimant in Deo non esse voluntatem non dandi gloriam ante praevisam culpam finalem; probant quia talis voluntas pugnat cum voluntate antecedente qua *Deus vult omnes homines salvos fieri* ante praevisum peccatum 1 AD TIM. 2 et cum voluntate qua *neminem vult perire* 2 PETR. 3 et cum voluntate qua *non vult mortem peccatoris sed magis ut convertatur et vivat* EZECH. 13 c. et 18, ergo ante praevisam culpam non est in Deo voluntas non dandi gloriam et ratione probant quia ex se ipso nulla prae-supposita culpa nullum vult Deus homini malum, sed velle non dare gloriam est velle maximum malum et maximum odium habere, ergo in Deo non est talis voluntas.

In hac controversia primo dicendum nobis est cum autoribus proxime citatis in Deo non esse voluntatem non dandi gloriam ante-praevisum peccatum finale, quod potest sic probari quia non potest intelligi quod Deus ex se ipso quasi moveatur ad volendum homini contrarium, sed velle omnes homines salvos fieri et non velle dare gloriam est velle contraria, ergo nulla considerata causa alia ex parte hominis non vult non dare gloriam.

Quod si dicas nihil repugnantiae esse voluntate antecedenti et inefficaci velle omnes homines salvos fieri et voluntate consequenti et efficaci velle aliquibus non dare gloriam, cum istae sint diversae voluntates. Sed contra hoc est quia si voluntas non dandi gloriam est ante praevisam culpam, sicut est per se, sequitur quod sit voluntas antecedens et ita voluntate antecedenti velit Deus omnes homines salvos fieri et quibusdam non dare gloriam, quod est falsum. Secundo quia ex sua bonitate intelligi nequit quod Deus velit homini malum, sed velle non dare gloriam est velle maximum malum hominis, ergo illud non vult Deus ex sua bonitate et ante culpam visam; quod si dixeris quod Deus ex motivo suae misericordiae vult omnes homines salvos fieri et ex motivo suae iustitiae vult aliquibus non dare gloriam, quae duo non pugnant inter se, cum procedant ex diversis motivis, contra hoc est quia non potest intelligi actus iustitiae praesertim punitivae et vindicativae nisi supposita culpa

vel iniuria propter quam homo puniatur, ergo non praevisa culpa non est actus quo Deus velit non dare gloriam ex motivo suae iustitiae.

Secundo dicendum nobis est etiam praevisa culpa finali non esse in Deo actum quo velit non dare gloriam nisi in quantum hic actus includitur in voluntate puniendi poena damni quae est carentia visionis beatificae. Probatur hoc, quia in Deo reperitur voluntas puniendi hominem poena damni sed haec includit voluntatem non dandi gloriam, ergo praeter hanc voluntatem puniendi non est necessaria alia voluntas [15v] non dandi gloriam, quod, si necessaria non est, sequitur quod non spectet ad reprobationem.

Tertio dicendum nobis est permissionem peccati non esse reprobationem, praesupponit tamen necessario reprobationem, non tamen opus est quod permissio sit in Deo voluntas positiva permittendi peccata. Primum horum, quod permissio non sit reprobatio, probatur quia reprobatio supponit iam permissionem culpaе, sed permissio peccati est ante ipsum peccatum praevisum, ergo permissio non est reprobatio. Secundum autem probatur quia culpa praesupponitur necessario ad reprobationem, sed permissio praesupponitur ad culpam, ergo permissio praesupponitur reprobationi. Tertium probatur quia permittere peccatum nihil aliud est quam Deum non prohibere peccatum vel non impedire, conferendo abundantius auxilium cum re vera posset impedire, sed ad non impediendum cum posset non est necessaria voluntas non impediendi sed satis est negative se habere respectu abundantioris auxilii, ergo non necessario permissio in Deo est voluntas positiva.

Ex omnibus his sequitur quod ad reprobationem pertineat ordinatio et voluntas puniendi in executione cum ordine mediorum quae ad punitionem requiruntur. Probatur hoc quia voluntas glorificandi in executione spectat ad praedestinationem, ergo similiter voluntas puniendi in executione spectat ad reprobationem; quod autem talis voluntas sit in Deo ex eo probatur quia ad Deum spectat punire peccata, sed ab aeterno in sua praescientia vidit Deus peccata et hominem dignum poena propter peccata, ergo ab aeterno voluit talia peccata punire, haec autem voluntas appellatur a nobis reprobatio ergo. Unde sequitur quod reprobatio et praedestinatio sunt quaedam species condistinctae immediate contentae sub providentia supernaturali.

QUAESTIO 4. QUI SINT EFFECTUS REPROBATIONIS

Tamquam certum supponendum est reprobationem secundum se nihil ponere in reprobo sicut praedestinatio secundum se sumpta nihil ponit in praedestinato, sed sicut praedestinatio pro executione sumpta ponit in praedestinato effectus praedestinationis ita reprobatio pro executione accepta ponit in reprobo effectus quosdam reprobationis, de quibus in praesentiarum difficultas est quinam sint illi.

Pro intelligentia huius quaestionis notandum est quattuor esse de quibus potest esse difficultas: primo, de permissione peccati sive originalis sive actualis passive accepta permissione, secundo, de culpa ipsa et obduratione in culpa; tertio, de poena aeterna; quarto, de non con[16r]secutione gloriae. Conveniunt omnes in primis culpam non esse effectum reprobationis cuius eadem ratio est ac de praedestinatione diximus, quia effectus reprobationis debent esse facti et voliti a Deo, sed culpa nequit esse volita a Deo secundum CONCILIUM TRIDENTITUM sessione 6 canone 4 ubi ait qui dixerit homines a Deo praedestinari ad malum etc. ergo culpa non est effectus reprobationis.

Sed obiiciet quis quod media omnia sive quae conducunt ad finem praedestinationis debent esse facta per praedestinationem, ergo quae conducunt ad finem reprobationis, scilicet, ad poenam aeternam debent esse facta per reprobationem, at culpa est medium vel maxime conducens ad finem reprobationis, ergo est facta per reprobationem. Sed respondetur quod, ut docent omnes theologi, haec est differentia inter media sive quae conducunt ad finem praedestinationis ex una parte et media sive quae conducunt ad finem reprobationis ex alia, quod media praedestinationis natura sunt a Deo intenta et ordinata voluntate positiva atque adeo facta per praedestinationem, at vero media omnia sive quae conducunt ad reprobationem non sunt a Deo positive intenta et volita atque adeo nec positive facta sed negative, scilicet, non impediendo per abundantius auxilium, cum posset, et huius differentiae ratio est quia media omnia praedestinationis sunt bona non tamen omnia reprobationis media sive quae ad finem reprobationis conducunt.

Ex hac differentia provenit alia, quod media praedestinationis sunt inter se ordinata, nam vocatio ordinatur in iustificationem et haec in perseverantiam et haec in glorificationem et haec in exal-

tationem gloriae tamquam in finem; tum etiam fiunt ex se ipsis aut tamquam ex causa efficienti aut tamquam ex dispositione sicut iustificatio fit ex vocatione, perseverantia ex iustificatione et glorificatio ex perseverantia, at vero media sive quae conducunt ad reprobationem non ordinantur inter se, quia non permittitur peccatum propter culpam neque culpa est propter punitionem, ut manifeste constat.

Conveniunt omnes secundo punitionem aeternam esse effectum reprobationis quod inde patet quia reprobatio est ordinatio hominis in malum ipsius, sed maximum malum et finis hominum est aeterna punitio, ergo punitio aeterna est effectus reprobationis. Unde sequitur quod cum non consecutio gloriae includatur in punitione aeterna per poenam damni sicut punitio ipsa aeterna est effectus reprobationis ita etiam non consecutio gloriae prout in ea includitur non autem prout est voluntas distincta, sit effectus reprobationis.

Tota difficultas est modo de permissione cadendi in peccatum, an sit effectus reprobationis. S. TH. in hoc articulo et CAI(ETANUS) ibidem, SCOT(US), GREGO(RIUS) et DURAN(DUS) locis citatis, DRIEDO DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII capite primo, partem tenent affirmativam quia cum hi [16v] autores sentiant voluntatem non dandi gloriam praecedentem praevisionem culpae pertinere ad reprobationem, consequenter sentiunt permissionem peccati esse effectum reprobationis. Probant primo quia qui vult substrahere finem vult etiam substrahere media quae conducunt ad finem ex priori voluntate, sed Deus habet voluntatem non dandi gloriam reprobis, ergo ex hac voluntate vult substrahere media ad gloriam, scilicet, abundantiora auxilia quibus reprobis non peccaret, hoc autem est permittere, ergo permissio est effectus reprobationis. Secundo quia quae conducunt ad finem praedestinationis sunt facta per praedestinationem, ergo quae conducunt ad finem reprobationis per reprobationem, sed permissio peccati conduit ad finem reprobationis qui est punitio, ergo illa est effectus reprobationis. Tertio quia malum reprobi provenit ex odio quo prosequitur illum Deus, sed odium pertinet ad reprobationem, ergo permissio quae est malum reprobi provenit ex reprobatione, erit ergo effectus eius. Ultimo quia secundum illud ad Rom. 8 *volens Deus ostendere iram suam et notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa irae etc.* ergo permisit Deus peccata in vasibus irae, hoc est, in peccatori-

bus reprobis ex fine ostendendi iram suam, hoc est, puniendi, sed quae facta sunt ex fine puniendi sunt effectus reprobationis, ergo permissio erit illius effectus.

Sed opposita sententia tenenda est quod permissio cadendi in primum peccatum non est effectus reprobationis. Ita sentiunt GAB(RIEL) in 1 d. 41 q. 1 a. 2, MARSIL(IUS) ibidem q. 41 a. 1 conclusione 5, IOAN(NES) A BONONIA, CAMERA et CATHERINUS citati, MOLINA q. 23 a. 3. Pro hac sententia, quia omnis effectus reprobationis debet esse ordinatus a Deo ex voluntate puniendi poena aeterna propter culpam iam praeviam, patet quia reprobatio est actus iustitiae punitivae et vindicativae, quae supponit culpam propter quam peccater punitur vel iniuriam quae vindicetur, sed permissio primi peccati non procedit ex voluntate puniendi propter culpam quia non supponit culpam sed est prior illa, ergo permissio primi peccati non est effectus reprobationis. Nec valet si dicas maiorem illam intelligendam esse de effectibus positivis qualis est punitio non de negativis qualis est permissio; haec, enim, satis est proveniat ex alia negatione, scilicet, non dandi gloriam, quia quamvis sit negatio vel privatio debet esse pena inflictata propter culpam, ergo debet necessario supponere culpam, sed hanc non supponit permissio, ergo non erit effectus reprobationis sive in privatione sive in negatione consistat.

Ad argumenta facta respondetur. Ad primum quod si concederemus in Deo voluntatem non dandi gloriam ante praevisionem peccati consequenter concedendum esset permissionem peccati esse effectum reprobationis; sed quia negamus priorem illam voluntatem in Deo consequenter negamus permissionem peccati effectum esse reprobationis. Ad secundum conceditur antecedens sed negatur consequentia, secus enim probaret argumentum culpam ipsam esse effectum reprobationis quia illa maxime conducit ad finem reprobationis quod tamen falsum est, unde respondendum est quod, ut diximus, quae conducunt ad finem praedestinationis sunt a Deo volita positive ex voluntate dandi gloriam et ideo sunt medium et effectus praedestinationis, at vero quae conducunt ad finem reprobationis non omnia sunt volita ex voluntate puniendi et ideo nec dicenda sunt media neque effectus reprobationis, unde permissio peccati et peccatum ipsum praerequisita dicuntur ad finem reprobationis, non autem medium aut effectus illius. Ad tertium, quod malum penae provenit quidem reprobo ex odio pertinente ad reprobationem, sed permissio primi peccati cum culpam

non supponat non potest esse malum poenae nec necessario est volita voluntate positiva, ut diximus, sed satis est proveniat ex eo quod Deus non magis amat reprobum; inde enim venit, quod non det maius auxilium quo impediret peccatum, quod est permittere. Ad ultimum, quod in illo loco non loquitur PAUL(US) de permissione primi peccati sed de derelictione sive permanentia in peccato commisso, cum dicat sustinuit vasa irae, id est, peccatores, an autem haec derelictio et obduratio in peccato sint effectus reprobationis inferius videndum est.

Sed dubitabit quis, si permissio peccati non fit ex voluntate puniendi, propter quem finem Deus permittat hominem labi in peccatum. Supponendum est primo peccata non permitti adeo ut puniat ipsum hominem, quia crudele nimis esset velle Deum permittere peccata ut haberet quid puniret, nam quamvis iure dominantis posset Deus id licite efficere iure tamen rectoris, moderatoris et provisoris licitum non esset.

Alii dicunt quod Deus permittit peccata ut hominem liberum relinquat. Ita CAI(ETANUS) a. 5 ubi docet quod Deus non permittit peccatum ut puniat sed permittit propter bonum libertatis et idem peccatum iam factum ordinat in punitionem. Sed haec sententia non placet, quia etiam si Deus praestaret homini abundantius auxilium quo vitaret revera peccatum nihilominus relinqueret liberum sicut relinquit liberos praedestinos.

[17v] Propterea dicendum est quod Deus permittit peccatum propter excellentiam virtutis futurae, positis peccatis; ex peccatis enim tyrannorum venit patientia martirum tamquam ex occasione et testimonium quo confitentur Christum. Permittit etiam peccata ut appareant divitiae gloriae suae circa praedestinos, ut constat ex illo PAULI ad ROM. 8 *volens Deus ostendere iram suam sustinuit in multa patientia vasa irae ut ostenderet divitias gloriae suae circa vasa quae preparavit in gloriam* et propter hunc finem permittit hominem labi in peccatum.

QUAESTIO 5. UTRUM PECCATUM. QUANDO EST PENA ALTERIUS PECCATI, SIT EFFECTUS REPROBATIONIS.

Quia contingit peccatum esse penam alterius peccati, ut docet AUG(USTINUS) lib. 5 CONTRA IULIANUM c. 3 et DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO c. 25 et DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 10 et S. TH.

1-2 q. 87 a 2 et colligitur ex illo ad Rom. 1 *propterea tradit illos Deus in reprobum sensum* dubium est an peccatum quod alterius prioris est pena sit effectus reprobationis.

Ratio dubitandi est quia pena potest esse volita et ordinata a Deo, ergo peccatum prout est pena potest esse volitum et praeordinatum a Deo ex fine puniendi atque adeo erit effectus reprobationis.

In hac difficultate CAI(ETANUS) super duodecimum caput secundum libri REG. existimat peccatum quamvis secundum se non possit esse a Deo volitum bene tamen ut est alterius peccati pena et hoc modo in reprobis est effectus reprobationis.

Sed dicendum nobis est peccatum, etiam ut est pena alterius peccati, nec esse a Deo nec esse effectum reprobationis. Probatur haec conclusio quia nulla pena quae inducit culpam potest esse volita aut facta nisi sit volita aut facta culpa, sed peccatum ut est pena alterius peccati includit culpam, ergo. Probatur minor quia in tantum est culpa in quantum privat hominem rectitudine rationis et Deo tamquam ultimo fine ipsius hominis, sed eademmet ratio est pena prout tollitur illud bonum ab homine et dicit ordinem ad culpam ergo necessario includit culpam, sed culpa non potest esse volita aut facta a Deo etiam per reprobationem, ergo peccatum prout est pena alterius peccati non est effectus reprobationis.

Quod si roget aliquis a quo sit inflictata haec pena quae est peccatum, si a Deo [18r] non est volita, respondetur quod est volita et inflictata ab eo qui peccat eo ipso quod vult peccare non quidem est volita ab eo directe sed indirecte tantum quia directe vult bonum sibi delectabile. Quod si obiicias quod etiam Deus vult indirecte peccatum eo ipso quod videt illud et non prohibet sed permittit, ergo erit eodem modo volitum a Deo atque ab homine, respondetur negando consequens, quia non ex eo quod non prohibeat et possit sequatur quod velit peccatum, sed tantum sequitur quod sit sibi voluntarium non tamen quod sit volitum etiam indirecte, quia non tenetur prohibere, sicut submersio navis non est volita ab eo qui potest impedire submersionem et non impedit nisi teneatur impedire, ei autem qui tenetur impedire, scilicet, nautae non tantum est voluntaria sed indirecte etiam volita submersio, praesertim quod Deus quantum est ex se prohibet peccatum, quia prestat sufficiens auxilium quo homo posset illum vitare. Quod si obiicias AUG(USTINUM) locis citatis asserentem peccatum, quod est pena al-

terius peccati, esse a Deo non tantum permittente sed etiam volente et agente, ergo directe vult Deus peccatum ex AUG(USTINO), respondetur proprie esse interpretandum in illis locis; sensus enim verborum eius est quod peccatum non tantum est a Deo non conferente maiora auxilia quibus vitandum esset, sed etiam offerente occasiones peccandi in quibus vidit hominem peccaturum, non tamen eo fine ut peccet. Et ex his constat solutio ad rationem dubii.

Ex his omnibus sequitur quod permanentia in peccato non sit effectus reprobationis, cuius ratio est quia peccatum et permanentia in eo sunt eiusdem rationis et malitiae, sed peccatum non potest esse a Deo volitum directe aut indirecte nec potest esse effectus reprobationis, ergo nec permanentia in peccato.

Sed dubium est an saltem permissio permanendi in peccato sit effectus reprobationis. Multi putant hanc permissionem esse effectum reprobationis, dicentes quod cum primum Deus videt hominem lapsum in peccato vult auferre ab eo abundantius auxilium quo homo surgeret a peccato, ut hac ratione puniat hominem aeterna pena. Secundo quia saltem contra aliquos insignes peccatores, quales sunt obdurati et excaecati, vult Deus specialiter offerre illis occasionem in qua videt ipsos peccaturos, ergo saltem in his permissio erit effectus reprobationis quia non aliter videtur volita quam ex fine puniendi.

Sed dicendum nobis est permissionem permanentiae in peccato, etiam si sit pena prioris peccati et a Deo sit vel potuerit esse volita, non esse effectum reprobationis. [18v] Probatur haec conclusio quia non potest esse effectus reprobationis nisi proveniat ex voluntate puniendi pena aeterna, sed permissio permanentiae non provenit hoc modo. Patet minor, quia Deus nunquam habuit voluntatem puniendi hominem pena aeterna nisi viso iam finali peccato, sed ante visum finem perseverantiae in peccato nunquam est visum finale peccatum cum deinceps possit homo resurgere a peccato per auxilia sufficientia quae nulli denegantur, ergo permissio perseverantiae in peccato non est effectus reprobationis. Tum etiam quia permissio perseverantiae eadem reputatur cum permissione incidendi in peccatum, sed permissio incidendi in illud non est effectus reprobationis, ergo nec permissio permanentiae. Patet maior propositio quia permissio peccati et permissio permanentiae in illo habent se sicut productio rei et eiusdem conservatio. Cum hoc tamen denegandum non est sed concedendum libenter

Deum optime potuisse absque ulla iniuria atque iniustitia statim atque vidit hominem lapsum velle illum punire pena aeterna et auferre abundantiora auxilia quibus resurgeret a peccato, imo etiam sufficientia; non tamen decuit divinam misericordiam et bonitatem hominem sic velle punire, sed potius concedit illi inducias quasdam illum incitans ad penitentiam non decernendo punire pena aeterna nisi iam viso ultimo peccato.

Ad argumenta oppositae sententiae respondetur quod Deus non habet voluntatem puniendi pena aeterna sive reprobandi nisi viso iam finali et ultimo peccato; unde permissio permanentiae in peccato non est effectus reprobationis, sed provenit ex alio fine, scilicet, ostendendi divitias gloriae suae circa praedestinos vel puniendi hominem pena temporali. Neque obstat si dicas quod permissio permanentiae in peccato est medium necessarium ad finem reprobationis; negandum enim est quod sit medium quia non est volita intentione puniendi aeterna pena sed est praerequisita ut diximus de permissione incidendi in peccatum atque etiam de culpa ipsa.

QUAESTIO 6. UTRUM EXCAECATIO ET OBDURATIO SINT EFFECTUS REPROBATIONIS

Variis modis appellatur status obdurationis in Scriptura, aliquando enim appellatur obduratio cordis propter inflexibilitatem voluntatis ad bonum, aliquando excaecatio propter obtenebrationem intellectus ad percipiendum bonum, aliquando aurium aggravatio propter ineptitudinem spiritus sive intellectus ad percipiendum Verbum Dei et fructum eius, proprie tamen obduratio est nimia adhaesio voluntatis ad malum et inflexibilitas ad bonum. Ita docet S. TH. in 1 d. 4 q. 4 a. 2 [19r] Haec tamen quaestio nimis connexa est cum illa an Deus sit causa peccati, cuius disputatio pertinet ad 1-2 q 79 a. 3 et ideo breviter a nobis expedienda est.

Videtur in primis quod obduratio et excaecatio sint a Deo et effectus reprobationis, quia saepe Sacra Scriptura videtur id docere: ad ROM. 1 *tradidit illos Deus in reprobum sensum*, et ad ROM. 9 *cuius vult miseretur et quem vult indurat*, et EXODI 9 *indurabit Dominus cor Faraonis*, etc; et ISAIAS 63 c. *quid fecisti nos recedere a via tua et obtudisti corda nostra ne timeremus te*. Propter haec loca Scripturae LUTERANI huius temporis asserunt Deum ab aeterno destinasse

homines ad malum et in tempore impellere ad illud efficiendum atque adeo non dubitant Deum efficere auctorem et causam peccati. Contra hos tamen auctores et ipsorum manifestam haeresim egregie disputant SOTUS 1 DE NATURA ET GRATIA c. 18 et 19; ROFFENSIS a. 36 ADVERSUS LUTERUM, ALEX(ANDER) 1 p. q. 29 memb. 4; S. TH. 1-2 q. 79 a. 3; BONAVENT(URA) in 1 d. 40 a. 3 q. 1; CASTRO 10 lib. ADVERSUS HAERESSES verbo malum et malitia; CANO 2 lib. DE LOCIS c. 3 et 4; DRIEDO DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII ET PRAEDESTINATIONE 2 p. c. ultimo et DE CAPTIVITATE ET REDEMPTIONE GENERIS HUMANI tractatu 5 c. 4. Et oppositum huic heresi definit TRID(ENTINUM), sessione 6 canone 6 et ARAUSI(CANUM) SECUNDUM, canone ultimo anathemate percutiens eum qui dixerit Deum praedestinasse homines ad malum. Et colligitur ex canonica IAC. primo capite: *Deus intentator malorum est ipse enim neminem tentat.*

Hac ergo haeresi ommissa dicendum est primo quod si excaecatio et obduratio accipiantur pro culpa, in qua quis diu permanet et illi adhaeret, neque excaecatio neque obduratio sunt a Deo nec sunt effectus reprobationis. Primo probatur quia neque sunt a Deo directe neque indirecte, ergo nec sunt effectus reprobationis. Primo quod non directe, patet quia Deus non impellit hominem ad malum ut citata haeresis videtur asserere nec movet nec iuvat ad illud neque illud percipit aut consumit, sed non potest aliter esse a Deo directe, ergo. Non indirecte quia, quamvis Deus non conferat abundantiora auxilia quibus obduratus emollietur, confert tamen quae sufficientia sunt ea intentione ut homo emolliatur, unde nec potest peccatum sibi imputari quia non impedit illud tum quia quantum est ex se impedit tum etiam quia non tenetur impedire sicut submersio navis non imputatur ei qui curam non gerit navis quia non tenetur impedire submersionem.

Secundo dicendum est quod si obduratio et excaecatio accipiantur pro permissione obdurationis et obcaecationis sive pro non collatione abundantioris auxilii quo homo emollietur quamvis haec permissio sit a Deo volita non tamen est effectus reprobationis. [19v] Primum quod sit volita patet quia permissio obdurationis non est malum culpae, ergo potest esse optime volita a Deo, secundo quia eiusdem est voluntatis conferre abundantiolem gratiam et illam aliquando denegare, sed voluntatis Dei est conferre hanc abundantiolem gratiam, ergo eiusdem voluntatis est illam denegare.

quod est permittere. Secundum autem quod non sit effectus reprobationis probatur quia effectus reprobationis procedunt ex voluntate puniendi aeterna pena, quae voluntas non fuit in Deo nisi iam viso fine ultimi peccati, sed permissio obdurationis et obcaecationis fuit visa a Deo ante visum finem ultimi peccati, ergo talis permissio non est effectus reprobationis.

Sed ut loca Scripturae supra citata in catholico sensu interpretentur notandum est quod duobus modis dicitur Deus in Scriptura indurare sive obcaecare hominum corda. Uno modo quasi negatione sive permissione, scilicet, non conferendo auxilium abundantius quo homo emolliretur, ut docet AUG (USTINUS) epistola 105 dicens quod Deus indurat non impertiendo malitiam sed potius non impertiendo misericordiam, qua ratione dicitur Dominus indurare servum quem non punit. Sic docent SOT(US), ROFFENSIS et CASTRO locis citatis, HYERONI(MUS) et THEOFILAC(TUS) super novenum caput epistolae ad ROM. AUG (USTINUS) lib. DE PRAEDESTINATIONE ET GRATIA c. 4; CHRISOST(OMUS) homilia 3 in novenum caput epistolae ad ROM. EUTHIMIUS in decimum quintum caput IOHAN(NIS) et ante omnes docuit ORIGENES 3 lib. PERIARCHOM c. 1; unde DAMAS(CENUS) 3 LIB. FIDEI c. 20 docet morem esse Sacrae Scripturae permissionem Dei actionem eius appellare ut Deus facere dicatur quod facere permittit. Secundo modo dicitur Deus indurare hominum corda quasi positive, quia scilicet aliquid efficit quo quidam indurantur sicut eodem flagelo aut eodem auxilio aut eodem miraculo, quo Deus novit aliquos esse convertendos, aliqui magis indurantur, non quia Deus intendat eorum duritiam sed quia ex propria malitia inde sumpta occasione magis indurantur, quod explicant theologi exemplo subiecto in sole qui eodem radio ceram emollit et lutum indurat, sic etiam eisdem patris miraculis Deus convertit ad se israeliticum populum, Faraonem autem duriores reddidit et hoc modo loquitur PAUL(US) cum ait *Christi bonus odor sumus quibusdam in mortem quibusdam in vitam* et IOAN. 6 eadem Christi praedicatione de manducatione sui corporis quidam sunt illuminati et edocti, scilicet, Apostoli, quidam alii corruerunt dicentes durus est sermo iste. Sic docet HYERON(NIMUS) tomo 5 in QUAESTIONIBUS AD EDIVIAM q. 10 et desumpsit ex ORIGENE 3 lib. PERIARCHOM c. 1; THEOPHILACTUS in illud ad ROM. 9 *cuius vult miseretur et quem vult indurat*; DRIEDO locis citatis; ADAMUS ad ROM. 1 in illa verba tradidit illos Deus in reprobum sensum et hoc modo et sensu locutus est

AUG(USTINUS)[20r] 5 lib. CONTRA IULIANUM c. 3 tomo 7 et DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO c. 21 ubi ait quod Deus non tantum indurat corda hominum deserendo illa sed etiam inclinando eorum voluntates secundum illud PROV. 21: *cor regis in manu Domini et quocumque voluerit vertet illum*, in quibus verbis non significat AUG(USTINUS) quod Deus efficit duritiam ut verba ipsius sonare videntur sed potius quod non praestat auxilia maiora quibus homo emolliatur vel quia offert occasiones in quibus fit hominem esse obdurandum non tamen offert ut obduretur; patet autem hunc esse AUG(USTINI) sensum quia sic se ipsum interpretatus est tomo 4 in quaestionibus in EXODUM quaestione 18 exemplo adhibito in Faraone et israelitico populo et lib. DE PRAEDESTINATIONE ET GRATIA c. 4 ubi ait illud quod dicitur quem vult indurat non sic esse intelligendum quasi Deus duritiam cordis operetur sed quia non emollat sicut dicitur excaecare quem non illuminat et repellere quem non vocat, sic etiam EPISTOLA 105 citata docet quod Deus dicitur inducere corda non quidem impertiendo malitiam sed potius non impertiendo misericordiam quasi dicat non quidem efficiendo culpam obdurationis sed non offerendo abundantiora auxilia.

QUAESTIO 7. UTRUM DEUS DENEGET REPROBIS AUXILIA NECESARIA AD SALUTEM.

Ratio dubitandi est quia Deus denegat reprobis voluntatem efficacem salvandi illos, ergo denegat necessaria, quia sine voluntate efficaci Dei nullus salvari potest. Antecedens patet quia si non denegaret voluntatem efficacem cum illa semper impleatur sequitur quod omnes reprobi salvarentur; secundo quia saltem reprobis denegat gratiam Christi, quia gratia Christi potentior est ad salvandum quam peccatum ad damnandum, secundum illud ad ROM. 5: *ubi abundavit delictum superabundavit gratiam*, ergo si gratia Christi non denegaretur reprobis sicut per peccatum omnes moriuntur tam reprobi quam praedestinati ita per gratiam Christi omnes salvarentur; neque obstat si dicas quod per gratiam Christi omnes salvantur quantum ad sufficientiam non autem quantum ad efficaciam, quia per peccatum moriuntur omnes non tantum ad sufficientiam sed etiam quantum ad efficaciam, ergo similiter, si gratia Christi illis non denegatur, salvat omnes quantum ad efficaciam, alias ve-

rum non erit illud 2 AD COR. 15: *sicut in Adam omnes moriuntur ita in Christo omnes vivificabuntur.*

Sed dicendum nobis est quod Deus nulli reprobato denegat auxilia necessaria sed omnibus prestat illa, ita ut si reprobi non salvantur sua culpa non salvantur. Quod colligitur ex illo 2 AD TIM. 2: *Deus vult omnes homines salvos fieri [20v] et ad agnitionem veritatis pervenire;* et ex illo ad ROM. 2: *an ignoras quod benignitas Dei et humanitas ad penitentiam te deducit, tu autem secundum duritiam cordis tui etc;* et ex illo PAULI(SIC): *ego sto ad ostium et pulso;* et ex communi theologorum axiomate quod Deus nulli deest facienti quod est in se nisi ipse homo sibi desit, si ergo homo velit Deo cooperari nunquam Deus deest illi.

Unde ad argumentum factum respondetur concedendo non fuisse circa reprobos voluntatem efficacem salvandi illos, negamus tamen illis aliquid necessarium deesse, quia cum effectus voluntatis efficacis nihil addat supra effectum voluntatis antecedentis propter operationem quae dependet a voluntate libera hominis et ex voluntate Dei, idem est deficere voluntatem efficacem reprobato atque deficere operationem qua convertatur, quod non est deficere potestatem ad se convertendum, sicut quamvis igni non comburenti desit concursus solis non sequitur quod non possit comburere; unde sicut haec consequentia est ulla: igni non comburenti deest concursus solis, ergo non potest comburere, quia idem est atque dicere igni non operanti deest operatio, ergo non potest operari, sic etiam nulla est haec consequentia; reprobato deest voluntas efficax, ergo non potest salvari, quia idem est atque dicere, reprobato deest operatio qua se convertat, ergo non potest operari, quae consequentia nulla est, hoc enim nihil aliud est quam deesse illi potestatem in sensu composito quod non operatur, quod est secundum quid deesse, habet tamen potestatem in sensu diviso, quod est simpliciter habere.

Ad locum PAULI citatum respondetur quod illic PAUL(US) comparat gratiam Christi cum peccato Adae non in effectu sed in virtute et potestate et hac ratione vera est comparatio, quia gratia Christi tanta fuit ut eius meritum fuerit infiniti valoris ratione gratiae unionis quae fuit infinita, malitia autem et demeritum peccati non fuerunt infinita atque adeo potentior fuit gratia Christi quam peccatum Adae. Quod si dicas PAUL(UM) ibi dixisse quod gratia Christi abundavit in plus, quod videtur effectum significare

respondeatur quod comparativum illud plus accipi debet pro positivo ita ut sensus sit quod gratia Christi abundavit in multos, ut legit AUG(USTINUS) et GRAECI etiam CODICES, ratio autem cur gratia Christi non fuerit causa ut actu omnes salvarentur fuit voluntas Christi quia voluit gratiam suam applicari hominibus certo modo scilicet parvulis solum per sacramentum baptismi, adultis autem per omnia alia sacramenta et per debitam dispositionem extra sacramentum quam ex propria malitia non semper habent, nihilominus tamen gratia Christi dicitur potentior Adae peccato quia peccatum destruit in omnibus illis quibus applicantur sacramenta Christi aut qui debite disponuntur. [21r] Ad alium locum PAULI respondeatur quod in illis verbis sicut in Adam omnes moriuntur etc. non loquitur PAUL(US) DE vivificatione spirituali sed de corporali, hoc est, de resurrectione corporum, quia in illo loco probat Paulus nos omnes esse resurrecturos, quia Christus resurrexit a mortuis, nam cum Christus sit iudex vivorum ac mortuorum oportet nos omnes manifestari ante tribunal domini nostri Iesu Christi.

QUAESTIO 8 UTRUM OMNI HOMINI PRESTET DEUS AUXILIA NECESSARIA AD SUI CONVERSIONEM.

Supponendum est in primis quod non est auxilium denegare hoc auxilium non dare, quoniam auxilium denegare est habere voluntatem non dandi illud ita ut denegans non tantum actu non det sed neque sit paratus dare in actu secundo, at vero non dare tantum dicit negationem effectus dandi ratione alicuius impedimenti ex parte recipientis, supponit tamen voluntatem dandi sive animi preparationem conferendi in actu secundo in ipso conferente.

Circa hanc difficultatem sunt qui dicant Deum conferre omnibus auxilia necessaria quibus converti possint, non tamen quibus actu convertantur, quia praeter auxilia quibus converti possunt indigent etiam homines auxilio alio quo actu convertuntur, quod tamen auxilium actuale dicunt non omnibus dari. Probari potest haec sententia ex AUG(USTINO) lib. DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 8 et DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO c. 4 quibus locis docet AUG(USTINUS) quod non tantum indigemus auxilio quo credere et diligere possimus sed etiam quo actu credamus et diligamus, quod etiam c. 8 constat ex illo IOAN, 6: *nemo potest venire ad me nisi pater meus traxerit eum*, quod si his autoribus obicias inde sequi

quod non imputetur homini ad culpam eo quod actu non convertatur, siquidem deest illi auxilium actuale quo indiget ad actualem conversionem, respondent ipsi negando sequentiam, quia ut imputetur homini ad culpam quod non actu convertatur satis est habere auxilium quo converti possit, praesertim quod per ipsum stat quominus Deus conferat maiora auxilia, quia Deus hoc ordine auxilla prestat ut primo praestet minora et his recte utentibus praestet maiora et efficacius moventia et bene utentibus his praestet adhuc abundantiora et specialiora quibus actu homo convertatur, sed non recte utentibus primis auxiliis negat secunda et male utentibus secundis negat tertia auxiliorum gratia. Prima auxilia appellantur bona ipsa externa, sicut divitiae et paupertas, secunda vero speciales quidam eventus [21v] quibus Deus hominem incitat ad penitentiam, tertia sunt supernaturales motiones tam internae quam externae quibus Deus hominem actu convertit ad se ipsum et his tribus auxiliis Deus paulatim emollit hominem, quamvis aliquando Deus usus specialissimo auxilio peccatorem subito convertat sicut contigit in PAUL(o) pergente Damascum et in Magdalena similiter; et tamen sententia ita intellecta ut homo praeter auxilium, quo converti potest, indigeat auxilio alio, ut actu convertatur, similiter prevenienti, falsa quidem est manifeste, quia cum potentia dicat posse in ordine ad actum, si homo habet auxilium quo converti potest, actu potest converti et si actu non potest converti sequitur quod non habet auxilium quo absolute converti possit. Neque obstat si dicas quod homo apponit impedimentum peccati et ideo per ipsum stat quominus detur auxilium quo actu convertatur, non autem stare per Deum, contra hoc enim est quia, si modo homo converti non potest, sequitur quod modo si non se convertat non peccat, quia nullus peccat in eo quod adimplere non potest, sed ut plurimum peccat quando apponit impedimentum, sicut qui proicit breviarium in mare tantum peccat quando appossuit impedimentum, praesentim quia secundum hanc sententiam non est in sua potestate hoc impedimentum tollere, et ita sequitur maius absurdum quod toto tempore quo non tollit impedimentum sit extra statum salutis. Sed ut huic quaestioni satis faciamus notandum est quod auxilium quod Deus homini praestat est in duplici differentia: aliud in actu primo aliud in actu secundo. Auxilium in actu primo nihil aliud est quam ipsa divina voluntas parata cooperari simul cum homine, qua ratione sol

intelligitur paratus omnia corpora sibi obiecta illuminare; auxilium vero in actu secundo nihil aliud est quam ipsa operatio procedens a voluntate libera hominis et a voluntate Dei, sive hoc intelligatur in actionibus naturalibus sive in supernaturalibus, quae actio prout recipitur in creatura dicitur motio Dei et prout a voluntate creaturae procedit operatio creaturae, prout autem procedit a Deo dicitur auxilium in actu secundo, haec autem duo auxilia aliquando sunt maiora aliquando minora, aliquando praevenientia aliquando comitantia, mensura tamen auxilii quod Deus homini praestat cognosci a nobis non potest nec nostrum est cogitare, quia aliquando magis indignis praestat Deus maiora ut eluceat eius misericordia, aliquando praestat minora ut appareat eius iustitia.

Sed notandum est quod inter haec auxilia haec est differentia, quod per auxilium in actu primo intelligitur homo potens sicut calidum per calorem est potens calefacere, per auxilium vero in [22r] actu secundo iam est homo operans, sicut per calefactionem calidum est calefaciens, quoniam auxilium in actu secundo est ipsa operatio.

His iam praemissis respondendum est quaestioni: quod Deus omni homini adulto et in omni tempore praestat auxilia sufficientia in actu primo non tamen in actu secundo. Prima pars huius conclusionis communis est theologorum consensus qui Deum comparant soli qui quantum est de se omnia corpora paratus est illuminare et similiter fonti parenni qui quantum est de se paratus est potare omnes homines si velint. Et docuit AUG(USTINUS) lib. 5 CONTRA IULIANUM c. 3 ubi docet quod Deus in nullo tempore homini deest sed homo ipse sibi deest. Colligitur etiam ex illo ISAIAE 65 c.: *tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem mihi*; et ex illo APOC. 3 c.: *ego semper sto ad ostium et pulso*; et ex illo EZECH. 33: *vivit Dominus dicit Deus: nolo mortem peccatoris sed magis ut convertatur et vivat*. Secunda autem pars conclusionis specialius probatur, quia homo non semper est in actuali operatione, ergo homo non semper habet auxilium in actu secundo. Patet consequentia, quia auxilium in actu secundo non est aliud quam ipsa operatio. Hanc secundam partem conclusionis quidam explicant dicentes quod si dare accipiatur prout est correlativum ad accipere non semper Deus dat auxilia. Sensus est quod non semper Deus praestat auxilia in actu secundo; hunc loquendi modum acceperunt ex D. TH. 2-2 q. 2 a. 5 et q. 10 a. 1.

Secunda conclusio sit: quod hoc auxilium in actu secundo non semper homini communicetur ex propria culpa hominis provenit, non autem ex parte Dei. Haec conclusio autoritatibus supra citatis pro prima conclusione satis ostenditur. Unde sequitur quod toto illo tempore, quo non vult homo Deo cooperari, sit impossibilis eius salus, quia Deus nullum hominem adultum vult salvare absque propria cooperatione loquendo de lege et ita erit impossibilis eius salus in sensu composito non autem in sensu diviso, quia quamvis non operetur potest re vera operari, sicut qui tacet et potest loqui, et in hoc sensu intellecta illa prior sententia, ut fortassis intellegi potest, verissima quidem est.

Ex quibus omnibus sequitur quod possibile est omnem hominem in omni tempore salvari et in eius potestate est propria salus. Ita definit CONCILIUM NICENUM canone 8 et CONCILIUM ROMANUM congregatum contra NOVATUM, ut refert EUSEB(IUS) 3 lib. HISTORIAE ECCLESIASTICAE c. 8.

Ad rationem AUG(USTINI) respondetur quod in illis locis tantum intendit duplex auxilium esse nobis necessarium, scilicet in actu primo et in actu secundo, semper tamen conferri nobis auxilium in actu primo, auxilium autem in actu secundo, quantum est ex parte Dei semper confertur, et per hominem stat quominus actu conferatur. [22v] Quod si obiicias quod prius est Deum operari et conferre auxilium in actu secundo quam causa secunda operetur, quia concursus causae primae prior est concursu causae secundae, ergo si Deus prius non praestet hoc auxilium nequit homini imputari quod non convertatur actu. Sed respondetur quod voluntas nostra potest efficere ut auxilium habeat in actu secundo et ita in eius potestate est ut convertatur.

QUAESTIO 9. UTRUM PRAETER AUXILIA PRAEVENIENTIA INDIGEAT HOMO ALIO AUXILIO UT ACTU CONVERTATUR.

Ut huic quaestioni satisfaciamus notandum est duplex esse auxilium quo Deus movet intellectum et voluntatem nostram: alterum est auxilium praeveniens, alterum est auxilium concomitans. Auxilium praeveniens, si sumatur pro re quam in nobis ponit, nihil aliud est quam aeterna motio vel cogitatio intellectus vel actus voluntatis prout praeveniunt operationem nostram in ordine ad quam

dicuntur praevenientia, sicut exterior praedicatio et apprehensio obiecti supernaturalis dicuntur auxilia praevenientia respectu assensus fidei et haec cum assensu fidei dicuntur praevenientia in ordine ad dilectionem Dei supernaturalem qua convertimur in Deum et haec omnia simul cum dilectione dicuntur praevenientia respectu perseverantiae. Auxilium autem concomitans est operatio nostra prout a Deo procedit respectu cuius priora auxilia dicuntur praevenientia.

Si autem loquamur de auxilio prout se tenet etiam ex parte Dei duplex est: aliud est sufficiens aliud efficax. Sufficiens auxilium est divina voluntas prout parata ad cooperandum cum homine hoc vel illo modo aut hoc vel illo tempore et quia hoc auxilium praecedit operationem, ad quam divina voluntas dicitur parata, appellatur etiam praeveniens. Auxilium autem efficax est operatio nostra prout a Deo procedit vel aliquid praevisum operationi productum in potentia nostra, quod quid horum sit infra videndum est.

Conveniunt omnes quod ad operationem supernaturalem actu habendam praeter auxilium praeveniens necessarium esse auxilium efficax. Ita doctores scholastici in 2 d. 28; VEGA super CONCILIIUM TRIDENTINUM lib. 12 c. 13 et lib. 13 c. etiam 13; RUARDUS a. 7 CONTRA CALVINUM; DRIEDO DE CAPTIVITATE ET REDEMPTIONE GENERIS HUMANI titulo 6 p. 2 c. 2; SOT(US) 1 DE NATURA ET GRATIA c. 16; EGID(IUS) in 2 d. 38 q. 1 a. 4; GREGO(RIUS) in 1 [23r] d. 41. Et docuit saepe AUG(USTINUS) lib. CONTRA DUAS EPISTOLAS PELAG(II) c. 8 et DE CORREPTIONE ET GRATIA c. 12 et DE BONO PERSEVERANTIAE c. 8. Et colligitur ex MILEVITANO, canone 28, ubi ait multa sunt in homine bona quae non facit homo, nulla tamen sunt quae non praestet Deus ut faciat homo, sed actio supernaturalis distincta ab auxiliis praevenientibus est etiam quoddam bonum, ergo, cum illa indigeat homo ut actu convertatur et in ea consistat efficacia auxilii, sequitur quod praeter auxilia praevenientia indigeat homo alio auxilio efficaci ut actu convertatur. Unde sequitur falsum esse quod quidam dicunt, scilicet, quod supposito auxilio praevenienti voluntas nostra propriis viribus eliciat supernaturalem operationem; quae sententia tribui solet CATHERINO, opusculo DE IUSTIFICATIONE ET PROVIDENTIA. Et quod alii dicunt quod supposito auxilio praevenienti ex vi illius voluntas nostra producat operationem applicatio tamen voluntatis ad opus ex nostra voluntate est, quae sententia tri-

bui solet ENRICO Quodlibet 4 q. 19 et Quodlibeto 8 q. 5; haec tamen sententia in sano sensu intellecta absque dubio vera est.

Tota difficultas est an auxilium efficax se habeat antecedenter ad opus nostrae voluntatis vel intellectus, an vero concomitanter. Sunt qui existiment auxilium efficax Dei antecedenter se habere respectu actionis potentiae nostrae ita ut non solum sit causa operationis potentiae nostrae sed illam determinet ad opus ad modum quo quidam philosophantur in causis naturalibus dicentes quod causa universalis, prius natura quam secunda causa operetur, ponit in causa secunda aliquid quo movet secundam ad opus. Hoc probant ex CELESTINO, EPISTOLA 1 c. 4 et 7, ubi docet quod nemo potest bene uti libero arbitrio nisi per gratiam Dei. Et ex AUG(USTINO) lib. 1 *QUAESTIONUM AD SIMPLICIANUM* q. 2. et lib. 1 *RETRACTIONUM* q. 23, ubi docet quod gratia Dei et eius vocatio non tantum dant posse bene velle sed efficiunt bonam voluntatem. Et ex CONCILIO MILEVITANO canone 9 et 23, ubi dicitur quod quotiescumque operamur Deus in nobis et nobiscum ut recte operemur operatur. Deinde ratione probatur, quia si auxilium efficax non esset aliquid praeivium actioni nostrae potentiae sequeretur quod non aliter Deus concurreret ad operationem supernaturalem quam concurrat ad actionem naturalem, si non producit aliquid praeivium per quod determinet nostram voluntatem ad actionem supernaturalem; consequens est falsum, ergo. Sequentia probatur quia etiam in actione naturali concurrat ad ipsammet actionem. Secundo quoniam ab aeterno praedefinivit Deus et determinavit actiones nostras praesertim supernaturales, ergo similiter praedeterminat voluntatem nostram in effectu ipso in tempore sed detrahere non potest nisi producat aliquid praeivium actioni, sed potius voluntas nostra determinaret consensum Dei et eius voluntatem, ergo ponendum est aliquid praeivium quod sit auxilium efficax [23v]. Tertio quia intelligi non potest aliter quod voluntas nostra moveat sive operetur ut mota et quod Deus concurrat ut causa propria et voluntas nostra ut instrumentum eius, nisi Deus aliquid producat in illa per quod voluntas operetur, alias sequitur quod voluntas nostra per proprias vires elicit actionem supernaturalem, quod dicendum non est.

Sed his non obstantibus sit conclusio quod auxilium Dei efficax se habet concomitanter sive simultanee cum actione potentiae nostrae et non antecedenter sive ut aliquid praeivium. Ita docent VEGA et RUARD(US) locis citatis et MOLINA q. 14 a. 13 disputatione

26. Sensus huius conclusionis est quod cum Deus producit actiones intellectus vel voluntatis nostrae simul cum potentia nostra non producit prius natura aliquid praeivium in voluntate vel intellectu quam producat actionem sed solum producit actionem cum ipsa potentia. Probatur haec conclusio ratione quia eo modo concurrat Deus ad actiones supernaturales quantum ad hoc atque ad actiones naturales, sed non producit aliquid praeivium in causa naturali ergo. Probatur minor quia si aliquid produceret vel deserviret ut causa esset proportionata cum effectu vel ut haberet virtutem producendi, sed ad hoc non quia utrumque habet causa naturalis per suam facultatem vel deserviret ut causa naturalis excitaretur ad agendum, sed ad hoc non quia ad hoc satis est presentia passi cum cooperatione Dei, ergo nihil producitur praeivium. Secundo probatur, quia si aliquid produceretur praeivium actioni supernaturali, quod esset auxilium efficax, vel illud esset actus vel habitus, quoniam aliud intelligi non potest; non actus tantum, quia iste solum producit ad productionem termini, non habitus quia iam sequeretur quod fieret in nobis habitus supernaturalis absque praecedenti dispositione et ulterius sequeretur quod omnis actio supernaturalis procederet in nobis ab habitu quod est falsum; tum etiam quoniam vel habitus aut praeivium illud necessario movet voluntatem nostram et ita sequitur quod voluntas non se libere determinaret ad actionem supernaturalem aut non movet necessario et ita sequitur quod, illo posito, adhuc voluntas manet libera ad operandum et non operandum et non determinata cuius oppositum contendit contraria sententia, ergo auxilium efficax non est aliquid praeivium actui. Tertio probatur, quia si auxilium efficax esset aliquid praeivium sequitur quod in actione sacramenti produceret Deus aliquid praeivium in sacramento et ita aliquid supernaturale produceret in verbis et aliquid in aqua ipsa, quod cum non esset aliquid materiale, quia nihil deserviret ad actionem supernaturalem, sequitur quod esset spiritale et ita aliquid spiritale produceretur in subiecto materiali quod est absurdum. Quarto, quia posito auxilio praeventi sive sufficienti optime intelligimus voluntatem nostram se determinare ad opus et illud elicere per illud auxilium sufficiens tanquam instrumentum Dei, nihil ergo praeter auxilium sufficiens [24r] necessarium est ponere quod se habeat ut causa actionis; ultimo quia respectu illius praeivii, si daretur, voluntas nostra se haberet mere passive, ergo non esset in eius potestate efficere auxilium Dei effi-

cax. Patet sequentia quia per se auxilium efficax consistit in illo praevio, consequens est falsum et impium, ergo et illud ex quo sequitur.

Ex quibus sequitur quod auxilium efficax nihil aliud sit quam actio intellectus vel voluntatis nostrae quae prout procedit a Deo dicitur auxilium efficax, prout autem a potentia nostra appellatur intellectio vel volitio.

Ad primum desumptum ex auctoritatibus AUG(USTINI) respondetur quod illis locis tantum significat voluntatem nostram moveri a Deo medio auxilio praevenienti et indigere actuali cooperatione Dei ut actu operetur, non tamen significat, ut putat opposita sententia, quod auxilium efficax antecedit operationem nostram et sit causa illius. Ad secundum respondetur: concedo sequentiam quod eodem modo concurrat Deus quantum ad simultaneitatem ad actionem malam et ad actionem bonam, haec tamen est differentia quod in bona concurrat ad actum et ad eius bonitatem in mala vero concurrat ad entitatem actus non tamen ad illius malitiam. Ad tertium respondetur negando antecedens et negando consequentiam, si per praevenire in effectu intelligas aliquid praevisum actioni producere, sicut universalis causa praevenit particulari concedimus, sed nihil contra nos. Quod si obiicias quod si Deus nihil producit praevisum actioni nostrae quod sit auxilium efficax, sequitur quod non determinat Deus nostram voluntatem, quia non potest determinare per solam cooperationem in eadem actione, respondetur quod sicut universalis causa, nullo praevio producto in causa secunda, determinat in genere causae efficientis quantum ad exercitium causam secundam, causa autem secunda determinat primam in genere causae materialis quantum ad exercitium et specificacionem, quamvis solum concurrant ad unam simplicem actionem, sic potest intelligi quod Deus determinet nostram voluntatem et quod voluntas nostra determinet concursum Dei, sed quia causa efficiens simpliciter est prior materiali simpliciter Deus dicitur determinare nostram voluntatem. Ad ultimum respondetur negando instrumentum debere movere ut motum sed satis est operetur in virtute alterius, ita ut eadem actio procedat et dependeat principaliter a causa principali, minus principaliter vero ab instrumento; sic enim calor absque ulla motione intelligitur ignem producere; sic etiam causa secunda non movet in quantum mota eo sensu quo argumentum contendit, sed tantum movet dependenter a prima

hoc tamen differt ab instrumento quod, quamvis dependeat ab alia causa, non tamen operatur virtute illius sed virtute propriae formae, instrumentum autem et dependet a causa principali et virtute illius operatur.

[24v] QUAESTIO 10. AN CUM AEQUALI AUXILIO ALTER E DUOBUS CONVERTATUR ALTERO NON CONVERSO.

Potest haec quaestio intelligi proportionabiliter de actu fidei et de actu conversionis in Deum et de perseverantia in gratia; an, scilicet, cum aequali auxilio alter ex duobus credat vel convertatur vel perseveret et alter non.

Sunt quidam theologi huius temporis quibus non tantum falsum sed pelagianum videtur asserere quod cum aequali auxilio alter ex duobus convertatur altero non converso. Probant hanc sententiam, quia si hoc esset verum sequeretur quod ratio distinctionis et differentiae eius qui credit ab eo qui non credit et eius qui convertitur ab eo qui non convertitur etc. sumenda esset ex parte hominis et non ex parte Dei, consequens est falsum, ergo. Sequentia probatur, quia Deus aequaliter se habet erga utrumque, minor vero probatur quia esset contra illud 1 AD COR. 4: *quis te discernit quid habes quod non accepisti aut si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?*, posset enim homo gloriari quod se ipsum distinguit ab impio. Secundo, quia hic qui convertitur excedit eum qui non convertitur in conversione ipsa actuali, sed haec conversio est quoddam auxilium distinctum ab eo in quo sunt aequales, ergo fieri non potest quod si alter convertatur tantum habeat aequale auxilium. Tertio, quia conversio ipsa quae est actio supernaturalis et auxilia quae praeveniunt illam proveniunt tantum a Deo, ergo si Deus aequaliter se habeat erga utrumque non est unde accipiatur differentia ut alter convertatur altero non converso. Ultimo probant ex AUG(USTINO) lib. DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 5, ubi ait num per dona communia homines ab hominibus distinguntur? quasi dicat minime; et inferius multi audiunt verbum veritatis sed quidam credunt quidam contradicunt, sed quia voluntas praeparatur quibusdam a Deo quibusdam non praeparatur videndum est quid sit de misericordia, quid de iudicio, quibus verbis AUG(USTINUS) differentiam eius qui convertitur ab eo qui non convertitur revocat in divinam voluntatem et in auxilii differentiam.

Sed antequam quaestionem diluamus supponendum est voluntatem nostram libere moveri a Deo in actionibus supernaturalibus quibus credimus, convertimur in Deum aut perseveramus in gratia, ita ut efficax voluntas Dei liberam relinquat voluntatem nostram, ut inferius videbimus et absolute voluntas nostra possit operari et Dei motioni absolute resistere ut restitit Farao, EXODI 10 [25r] et 2 AD TIM. 3, *sicut Ioannes et Mammes restiterunt Moisi ita et hi resistunt veritati*; et ACT. 7 dicitur: *vos Spiritui Sancto resistitis sicut patres vestri*. Docuit hanc veritatem CONCILIUM TRIDENTINUM sessione 6 c. 5 canone 4, ubi docet voluntatem nostram non moveri a Deo ut instrumentum inanime sed ut instrumentum animatum et liberum quod potest Dei motioni resistere.

2.º Supponendum est quod posito auxilio efficaci non est in nostra potestate non operari in sensu composito, hoc est, supposito auxilio efficaci quod nihil aliud est quam nostra operatio. Colligitur haec veritas ex AR(ISTOTELE) qui 1 DE INTERPRETATIONE, capite ultimo, colligit omne quod est pro tempore quo est necessario esse quamvis absolute necessarium non sit, quam propositionem approbat ibi D. TH. dicens eam fundari in principio illo ultimissimo: impossibile est idem simul esse et non esse, si autem pro tempore quo cooperamur possemus non cooperari, eadem operatio simul esset et non esset, quod etiam docuit AR(ISTOTELES) 1 ETHIC. 12 c. in ea suppositione qua docet potentiam simul esse ad contraria, sed non ad contrarios actus simul habendos; unde sequitur potentiam dari ad futurum tantum non ad praesens, sicut neque ad praeteritum in sensu composito, sed tantum in sensu diviso. Neque valet si obiicias quod potentia libera est quae positis omnibus requisitis potest operari et non operari, sed unum ex requisitis est auxilium efficax, ergo illo posito possumus operari et non operari et tamen voluntas libera sit. Sed respondetur hoc argumentum procedere ex pravo intellectu praemissarum; maior, enim, intelligenda est de requisitis ex parte principii sive passivi sive activi ad agendum, quae praecedunt actionem ipsam ad quam requiruntur et in hoc sensu falsa est minor quia auxilium efficax, cum sit ipsamet nostra operatio, non potest esse requisitum ad operationem, quia non dicemus locutionem esse requisitam ad locutionem sive ad loquendum; unde sequitur quod, cum quaerimus an cum eodem auxilio etc, non quaerimus etiam de auxilio efficaci sed de praeveniendi et de sufficienti, quoniam certissimum est quod is qui conver.

titur, credit aut perseverat mains habet auxilium quam is qui non convertitur aut credit etc, quoniam conversio ipsa aut actus credendi sunt quoddam actuale auxilium quod non invenitur in non credente sicut is qui habet habitum scientiae et intellectionem magis habet quam qui tantum habet habitum scientiae ceteris paribus. Quaestio est an cum eodem auxilio sufficienti et praevenienti, sive ex parte Dei qualis est voluntas Dei parata ad cooperandum aequaliter cum utroque et cum eisdem motivis ex parte nostra sive internis quales sunt bonae inspirationes et illuminationes et externis qualia sunt praedicationes et miracula, alter convertatur et alter non convertatur. [25v] Supponendum est primo, situm esse in potestate nostrae voluntatis quod auxilium Dei sufficiens fiat in nobis efficax, hoc est dicere quod Deus cooperetur cum nostra voluntate sive sit in potestate nostrae voluntatis tanquam in instrumento sive tanquam in causa propria, sicut dicimus in potestate nostra esse quod applicando ignem passo Deus cooperetur cum illo. Hoc colligitur ex illo ZACH 1: *convertimini ad me et ego convertar ad vos* et ex illo THREN 5: *converte nos Domine ad te et convertemur*. Et ita docet TRIDENTINUM sessione 6 c. 5 quod in primo loco admonemur nostrae libertatis, in secundo vero profitemur nos a gratia Dei praeveniri in nostris actionibus.

His suppositis tamquam certis, sit conclusio: cum aequali auxilio praevenienti et sufficienti et cum eisdem motivis sive internis sive externis praesuppositis alter ex duobus potest converti et alter non convertitur. Quam conclusionem nemo, ut existimo, negat in sensu explicato. Et colligitur ex AUG(USTINO) lib. DE PRAEDESTINATIONE ET GRATIA c. 15 ubi ait de Faraone et Nabuchodonosor: quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem ambo reges, quantum ad causam ambo populum Dei captivum possidentes, quantum ad penas ambo flagellis Dei clementer admoniti, quid ergo fuit eorum fines esse diversos nisi quia unus manum Dei sentiens in recordatione propriae iniquitatis ingemuit, alter vero libero contra Dei misericordiosissimam veritatem pugnavit arbitrio? Et LIBER OCTOGINTA TRIUM QUAESTIONUM, quaestione 66, docet de invitatis ad Caenam, LUC. 14, quod non omnes venerunt, quia non omnes venire voluerunt. Et lib. 12 DE CIVITATE, c. 6, ubi docet cur visa eadem mulieris pulchritudine alter ex duobus moveatur ad illicite faciendum et alter non esse aliam causam praeter propriam voluntatem. Quibus locis AUG(USTI-

NUS) videtur reducere diversitatem horum duorum non in diversitatem auxilii sed in propriam voluntatem. Idem docet GREGO(RIUS) explicans parabolam de invitatis ad nuptias, et HIERONI(MUS) in quaestionibus AD EDIVIAM, q. 11, ubi docet quod cur quidam homines convertantur ad fidem et alii non convertantur non esse aliam causam nisi quia proprio arbitrio sunt derelicti et colligitur aperte ex illo MATH. 11: *vae tibi Betsaida vae tibi Corazaim, quia si in Tiro et Sidone factae fuissent virtutes et signa quae in te facta sunt* etc quibus verbis docet Christus quod cum eodem auxilio, quod datum fuit habitatoribus Bethsaida et Corazaim, Tirii et Sidonii egissent poenitentiam quam illi non egerunt. Deinde ratione probatur quia, posito quocumque auxilio praevenienti et quocumque motivo tam interno quam externo, voluntas nostra manet libera ita ut possit credere et non credere, converti et non converti, ergo similiter posito [26r] aequali auxilio in duobus potest alter converti et alter non. Secundo quia cum aequali auxilio et eisdem motivis potest idem homo modo converti et in alio tempore non converti, ergo multo potius potest unus homo converti et alter cum aequali auxilio non converti.

Neque obstat si dicas quod, posito aequali auxilio, potest quidem alter converti et alter non converti, tamen de facto uterque convertetur vel uterque non convertetur, cum non sit maior ratio unius quam alterius. Contra hoc enim est quia, si potest quicumque illorum converti et quicumque non converti, non est maior ratio cur colligamus utrumque esse convertendum aut neutrum esse convertendum quam alterum esse convertendum et alterum non, cum erga omnia tria haec membra eodem modo se habeat. Tertio quia, quamvis Deus sit causa propria conversionis aut assensus, tamen voluntas nostra est instrumentum liberum potens operari et non operari et respectu dissensus aut non conversionis est causa propria et libera, ergo in eius potestate est alterum exercere, scilicet, aut credere aut non credere, converti vel non converti.

Secundo dicendum nobis est quod non tantum cum aequali auxilio potest alter converti et alter non sed cum minori potest alter converti et alter cum maiori auxilio non converti. Ratio utriusque est quia utrique tribuit Deus auxilia necessaria et sufficientia, ergo cum illis potest is qui minus habet auxilium converti et posito quocumque auxilio praevenienti maiori libera manet voluntas eius qui auxilium habet ut convertatur et non convertatur.

ergo potest alter cum minori auxilio converti et alter cum maiori non converti. Unde sequitur quod aliquando maius est beneficium Dei praestare minus auxilium secundum substantiam quando scit hominem esse convertendum quam praestare maius quando scit hominem non esse convertendum, sicut maius est beneficium corrigere proximum minus, quando retrahendus est a peccato, quam corrigere magis, cum scimus non esse retrahendum a peccato.

Unde ad argumenta supra facta respondendum est. Et ad primum respondetur quod ratio et differentia huius, scilicet, copulativae, cur iste convertatur et iste non convertatur, non solum reducenda est in Deum sed etiam in voluntatem nostram, quia voluntas nostra est ratio et causa propria dissensus in eo qui dissentitur, Deus tamen est causa propria assensus et voluntas nostra instrumentum in eo qui assentitur fidei; unde recte dicemus hunc hominem assentiri quia Deus fecit ipsum velle assentiri ei et hunc hominem [26v] dissentiri quia ipse noluit assentiri; unde sequitur quod Deus est causa propria discernendi iustum ab impio et voluntas nostra instrumentum, at vero voluntas nostra est causa propria qua homo impius discernitur a iusto; unde dissensus in nostram voluntatem, assensus verum in Deum ut in propriam causam reducendus est.

Ex his sequitur falsam esse sententiam eorum qui asserunt voluntatem nostram esse causam per accidens actus supernaturalis, quia causa per accidens non influit quidem, cum actus supernaturalis sit vitalis, qui nisi a potentia vitali in genere causae efficientis esse non potest. Unde CONCILIUM TRIDENTINUM sessione 6 canone 4 definivit: qui dixerit arbitrium nostrum a Deo motum et excitatum non posse assentiendo Deo cooperari excitanti et vocanti anathema sit.

Ad duo alia argumenta respondetur quod solum probant maius esse auxilium in eo qui convertitur quam in eo qui non convertitur loquendo de auxilio praevenienti et efficaci, quod nos concedimus, non tamen probant eum qui convertitur habere maius auxilium praeveniens et sufficiens.

Ad loca AUG(USTINI) respondetur quod tantum probant differentiam iusti ab impio debere in Deum reduci ut in propriam causam, non tamen negant reduci in nostram voluntatem ut in instrumentum liberum et hoc modo intelligendi sunt sancti, cum saepe dicunt alterum hominem converti quia voluit, alterum vero non

converti quia noluit quoniam in dissensu assignant propriam causam, in assensu vero instrumentalem.

QUAESTIO 11. AN EO MALORUM POSSIT QUIS PERVENIRE UT ILLI DENEGETUR A DEO AUXILIUM SUFFICIENS.

Hactenus diximus quid homo haberet non supposito peccato, deinceps videndum est quid iam supposito peccato habeat.

Et primo supponendum est ut certum quod Deus ante peccatum praestitit auxilia sufficientia omnibus hominibus, quia praestitit primo parenti donum gratiae habitualis transferendum in posteros, quod re vera transferret per generationem, si perstitisset in gratia et eodem dono possent posterius perseverare.

Secundo supponendum est quod, viso peccato originali, habuit Deus sufficiens motivum ad excludendum omnes homines a vita aeterna ex iustitia et illis denegandi auxilia sufficientia ad salutem, quod si postea auxilia sufficientia praestitit [27r] non ex debito iustitiae sed potius ex propria misericordia secundum illud ad TIM. 3 *non ex operibus quae fecimus nos sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*; unde, praevisto peccato originali, noluit omnes homines efficaciter excludere a vita aeterna neque efficaciter salvare.

Tertio supponendum est cum omnibus theologis, excepto GREG(ORIO) in 1 d. 46 et 47 q. 1, quod post visum peccatum originale fuit in Deo voluntas antecedens dandi gloriam omnibus hominibus et auxilia sufficientia tam contra peccatum quam ad consequendam gloriam. Ita docent SCHOLASTICI in 1 d. 46, TOMISTAE 1p. q. 19 a. 6 et D. TH 1 CONTRA GENTES c. 159. Et colligitur ex illo 1 AD TIM. 2: *Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire*, ubi addit AMBRO(SIUS): *Deus vult omnes homines salvos fieri si ipsi accedant, non enim vult nolentes salvari sed vult ipse si ipsi velint, qui enim omnibus legem dedit nullum exceptit a salute*. Idem docet EUCHUMENIUS eodem loco; DAMAS(CENUS) 2 LIB FIDEI c. 29, ubi ait quod *Deus vult omnes homines participes suae gloriae, quia nullum hominem fecit ad puniendum*; AUG(USTINUS) LIB QUAECTIONUM AD ARTICULOS SIBI FALSO IMPOSITOS quaestione 2 ubi ait: *sine exceptione credendum est Deum velle omnes homines salvos fieri, qui enim pereunt ex merito pereuntium est, quod vero alii salvantur salvantis est donum*; HIERONI(MUS) in epistola AD THESIPHONTEM et

CHRISOST(OMUS) super novenum caput epistolae ad Rom. et super illa verba IOAN. 1: *illuminat omnes homines venientes in hunc mundum*. Id ipsum colligitur ex omnibus illis parabolis LUCÆ 8 de seminante in omne genus terrae et LUCÆ 24 de invitatis ad Caenam et MATH. 20 de vocatis ad vineam. Et idem colligitur ex illo EZECH.: 18: *num quid voluntatis meae est mors peccatoris et non magis ut agat penitentiam et convertatur ab omnibus viis suis iniquis et vivat*. Et pro hac sententia est ratio aperta quia etiam post visum peccatum originale voluit Deus donare nobis Christum passibilem et mortalem tamquam reconciliatorem et redemptorem omnium hominum nullo excepto, ut colligitur ex illo IOAN. 1: *ipse enim est propitiatio pro peccatis multis non autem pro multis tantum sed pro peccatis totius mundi* et 2 AD COR. 5: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* tum etiam quia sicut peccatum sese difundit in omnes in condemnationem ita gratia Christi se difundit in omnes in reconciliationem, imo multo magis fuit grata Deo gratia Christi quam culpa Adami fuerit ingrata, sed non potest Christus dici redemptor et reconciliator omnium nisi velit omnes salvos fieri, ergo post visum peccatum primi parentis voluit omnes homines salvos fieri et illis praestare auxilia sufficientia.

Difficultas est tantum in praesentiarum de illis qui ad profundum malorum venerunt [27v] qui in Scriptura appellatur obdurati aut excaecati aut a Deo derelicti an his omnibus praestet Deus auxilia sufficientia ut salutem assequantur.

Sunt qui existiment homines ita esse a Deo desertos ut neque illis prestet auxilia sufficientia. Ita docent ROFFENSIS a. 36 CONTRA LUTERUM, RUARDUS a. 7; ABULENSIS in 4. c. Math. q. 2; CAI(ETANUS) in 12 c. IOANN. in illa verba non poterant credere; HENRICUS QUODLIBETO 8 q. 5; GREGORIUS in 1 d. 36 q. 1. Et tribuitur haec sententia ARMACANO lib. 9 DE QUÆSTIONIBUS ARMENORUM c. 27. Et colligitur haec sententia ex ORIGENE super 9 c. epistolae ad Rom.; et ex GREG(ORIO) 11 MORALIUM c. 5 et lib. 31 c. 11 dicente quod cor Faraonis nulla desuper infusi timoris sensibilitate tangebatur; et AUG(USTINO) in expositione quarumdam propositium super epistolam ad Rom. propositione 62 ubi ait cor Faraonis a Deo induratum esse ut tam evidentibus signis obtemperare non posset; ISIDO(RUS) 2 LIB. DE SUMMO BONO c. 15 ubi ait quod multi ita disponuntur a Deo ut sua peccata plorare non possint. Et colligitur ex illa historia Antiochi 2 MACH. 9 ubi dicitur: *orabat scelestus Deum a quo non orat*

imperaturus veniam; et ECCL. 7 ex illis verbis: considera opera Dei quia nemo potest corrigere quem ille despexerit et ex illo IOAN. 12: non poterant credere Iudei quia cor illorum erat excaecatum.

Et pro hac sententia est ratio quia hoc quod asseritur ab his autoribus nec derogat divinae misericordiae, cum sit opus maxime iustitiae ut Deus auferat auxilia sufficientia his qui in maxima peccata laxi sunt et in illis sunt indurati nec derogat voluntati antecedenti, quia vult omnes homines salvos fieri quia hoc intelligendum est quantum est ex parte Dei aut saltem sub illa conditione quod homines non sint lapsi in maxima peccata et in illis indurati, ergo dicendum est Deum auferre ab his auxilia sufficientia.

Ut dissolvamus hanc difficultatem supponendum est non esse quaestionem hanc intelligendam de adultis amentibus pro tempore amentiae, quia certum est pro hoc tempore nullum illis conferri auxilium, ut advertit optime DRIEDO, DE REDEMPTIONE ET CAPTIVITATE GENERIS HUMANI titulo 5 c. 3, quia pro eo tempore non sunt capaces auxilii sicut neque liberi arbitrii unde quaestio solum intelligenda est de adultis qui libero arbitrio gauderent, an propter maxima scelera et peccata, in quae inciderunt, deneget illis Deus auxilia sufficientia ad salutem.

Sed haec sententia, quamvis haeresis non sit, ut putat SOT(US) 1 DE NATURA ET GRATIA c. 13, est tamen absque dubio temeraria et in fide periculosa et propterea D. TH. 3 p. [28r] q. 86 a. 1 tanquam erroneam damnat sententiam asserentium esse in hac vita aliquod peccatum irremissibile, a qua sententia parum aut nihil differt haec a nobis citata.

Quapropter sit conclusio: nulli homini, quantumvis in peccatis obdurato, denegat Deus auxilia sufficientia in hac vita. Conclusio haec et sacris litteris et dictis sanctorum est conformis et maxime commendat divinam misericordiam de qua est sperandum. Et colligitur ex illo EZECH. 17: *nolo mortem peccatoris sed magis ut convertatur et vivat* et cap. 18: *in quacumque hora genuerit peccator iniquitatem eius non recordabor amplius*; et ex illo MACH. 11: *venite ad me omnes qui laborati et onerati estis et ego reficiam vos*; idem docet PAUL(US) ad ROM. 10 afferens testimonium ISAIAS 65 c.: *tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem mihi*; et ad ROM. 2: *an ignoras quod benignitas Dei ad penitentiam te ducit, tu autem secundum duritiam tuam et impenitens cor thesaurizas iram in diem irae*; et colligitur ex illo

ISAIAE 49 c.: *nunquid poterit mulier oblivisci infantem suum ut non misereatur filii uteri sui? etiam si illa oblita fuerit ego tamen non obliviscar tui.* Hanc sententiam sequitur AUG(USTINUS), quidquid loca pro opposita tradita sonare videantur, nam LIB. RESPONSIONUM AD ARTICULOS SIBI FALSO IMPOSITOS a. 15 docet quod nemini in hac vita adimit Deus, docet etiam HIERO(NIMUS) in illum AMOS 5 super tribus sceleribus Moab; et CHRISOST(OMUS) homilia 25 in diversa loca MATH, ubi docet semper in hac vita esse in nostra potestate penitentiam. Et definit CONCILIUM LATERANENSE ut habetur in capite FIRMITER quod omne peccatum post baptismum commissum potest per paenitentiam reparari. Docent etiam D. TH. loco citato; et DRIEDO DE REDEMPTIONE ET CAPTIVITATE GENERIS HUMANI p. 5 c. 3; SOT(US) 1 DE NATURA ET GRATIA c. 18; ADRIANUS in 4 q. 1 de paenitentia; MOLINA q. 14 a. 13 disputatione 11. Potest etiam haec sententia probari ratione quia, quamdiu homo est in hac vita, gaudet arbitrio libero flexibili in utramque partem, bonum scilicet et malum, et obligatur praecepto paenitentiae quantumvis induratus sit in peccatis, sed neutrum horum fieri potest sine auxilio sufficienti, quia non potest teneri ad impossibile, ergo quamdiu est in hac vita conceditur illi auxilium sufficiens. Praeterea quia si de aliquo asserendum esset fuisse destitutum a Deo maxime de Faraone qui tot prodigiis atque miraculis restitit, sed huic non defuit auxilium sufficiens, quod ex eo colligitur quia non puniretur a Deo tot modis [28v] nec toties improperearet illi Deus populi detentionem, unde et ipse significat hoc ipsum EXODO 9 cum ait: *peccavi et Dominus iustus est et ego et populus meus impii* et ita non defecisse auxilium Faraoni testatur ORIGENES 3 lib. PERIARCHOM c. 1; et AUG(USTINUS) lib. DE PRAEDESTINATIONE ET GRATIA c. 15, et in quaestionibus IN EXODUM q. 24 ubi duritiam Faraonis revocat in voluntatem illius non in defectum auxilii, quia scilicet libero contra Dei misericordiam pugnavit arbitrio. Unde colligitur AUG(USTINUM) atque ORIGENEM non esse pro opposita sententia sed potius pro nostra. Ex quo colligitur quod cum sancti saepe docent impossibile esse obduratum converti impossibile accipi debet pro difficili, sicut accipitur cum dicimus impossibile esse laborantem morbo letali sanari. Ita docet S. TH. 2-2 q. 14 a. 1 nam quod indurati saepe convertantur, quamvis miraculosum fere sit, docet BERNAR(DUS) lib. 1 DE CONSIDERATIONE AD EUGENIUM afferens illa verba EZECH 36 c.: *auferam a vobis cor lapideum.* Ad auctoritatem desumptam ex historia An-

tiochi respondetur quod ille, ut docet D. TH. 3p. q. 89 a. 1, non egit veram paenitentiam sed tantum dolebat de morbi gravitate vel dicendum est quod dicitur ibi, non erat consecuturus veniam quam scilicet ipse sperabat, quia tantum sperabat futuram sanitatem.

Ad illud ECCLE. 7 respondetur verba illa sic esse intelligenda quod nemo potest corrigere quod Deus destituerit abundantiori auxilio vel quod locutio est condicionalis ita ut sensus sit: si Deus aliquem destituerit, nemo alius a Deo est qui possit illum corrigere.

Ad locum IOAN. 12 colligitur solutio ex AUG(USTINO) titulo 35 super IOAN. super eadem verba citata: non poterant credere Iudei ubi ait quod ideo non poterant quia predixerat ISAIAS eos non esse credituros, non quia predictio inferret necessitatem consequentis sed solum consequentiae eo sensu quo nos dicimus futura contingentia non posse non evenire quia certo sunt cognita futura a Deo, ex quo nulla ponitur necessitas in futuris; unde predixerat ISAIAS de eisdem Iudeis *ne forte oculis videant et auribus audiant et corde intelligent et convertantur*, unde constat liberum fuisse Iudeis in Deum converti.

Contra haec omnia quae dicta sunt de auxiliis notandum est quod cum dicitur Deus tribuere auxilia omnibus sufficientia ad salutem non esse sic intelligendum ut semper absque ulla intermissione auxilia praestet in actu, sed intelligendum est quod Deus praestet auxilia temporibus oportunis, prout illi visum fuerit, semper tamen est Deus in praeparatione animi praestandi haec auxilia debitis temporibus. [29r]

QUAESTIO 12. AN SIT ALIQUOD PECCATUM IRREMISSIBILE DE LEGE ORDINARIA IN HAC VITA.

Certum est de potentia Dei absoluta omne peccatum remitti posse; tantum est quaestio an de lege ordinaria sit aliquod peccatum ita pessimum quod non remittatur, non quidem quia paenitentia non sit potens remittere, sed quia non possit haberi vera paenitentia per quam peccatum deleatur, Deo hominem deserente.

Fuerunt quidam haeretici qui assererent peccatum aliquod esse irremissibile de lege ordinaria in hac vita, quod peccatum dicunt esse peccatum ad mortem de quo IOAN. 5, quod consistit in negatione Christi in tormentis, et peccatum in Spiritum Sanctum de quo MATH. 12 quae haeresis fuit NOVATI, ut refert EUSEBIUS 8 lib

HISTORIAE ECCLESIASTICAE c. 20 et lib. 11 c. 14, quam secuti sunt Armenii, ut refert PRATEOLUS verbo Armenii, et tribuitur ARMACANO 9 lib. DE QUAESTIONIBUS ARMENORUM c. 27, et videtur illam secutus ORIGENES titulo 25 in Ioan, et huic accesserunt multum HENRICUS, ROFFENSIS, RUARDUS et ABULENSIS locis citatis, MEDINA DE RECTA IN DEUM FIDE lib. 3 c. 1.

Sed haec sententia tanquam aperta haeresis reiicienda est ut reiicit illa D. TH. 3 p. q. 86 a. 1. Et eius falsitas colligitur ex illo IOAN. 20 ubi data est potestas Apostolis remittendi nostra peccata nullo excepto et ex illo EZECHIELIS 18: *si impius egerit paenitentiam a peccato suo iniquitatum eius amplius non recordabor* constat autem ex supra dictis unicuique conferri auxilium quantum ad paenitendum sufficiat, tum etiam quia hoc peccatum quod isti vocant irremissibile remissum fuit Petro neganti Christum.

Sed obiiciunt nobis loca quaedam Scripturae. Primo, illud IOAN. 5 ubi Ioan. ait *est peccatum ad mortem non dico ut pro illo roget quis*, quibus verbis significare videtur peccatum ad mortem esse absque ulla spe veniae. Sed omissis expositionibus variis quas tradit AUG(USTINUS) lib. DE VERA ET FALSA PAENITENTIA c. 4 et DE SERMONE DOMINI IN MONTE c. 43 et 44 et AMBROSI(US) lib. 1 DE PAENITENTIA c. 8 et 9, dicendum nobis est peccatum ad mortem appellari in praesentiarum peccatum quod usque ad mortem durat et appellari solet finalis impaenitentia, quod peccatum tale esse dicit ut pro illo non sit orandum et merito quidem quia peccatum quod in hac vita non remittitur nunquam deleri potest. Haec expositio desumitur ex AUG(USTINO) lib. 1 RETRACTATIONUM c. 19 et DE CORREPTIONE ET GRATIA c. 15 et ex [29v] GREG(ORIO) lib. MORALIUM c. 28 et 31 eundem sensum tradit HIERONI(MUS) explicans illa verba *Ieremiae* 14; *noli orare pro populo isto quoniam non exaudiant te*, ubi docet stultum esse orare pro peccato ad mortem id est pro perseverante in peccato usque ad mortem, quam expositionem late prosequitur VEGA super CONCILIUM TRIDENTINUM lib. 13 c. 11. Secundo obiiciunt nobis historiam Antiochi 2 MACHAB. 9 sed ad hunc locum iam supra responsum est. Tertio obiiciunt nobis locum illum de Esau ad HEBRAE. 12 ubi dicitur quod *Esau non invenit paenitentiae locum quamvis cum lacrimis quaesivisset eam*, in quo significari videtur peccatum illius fuisse absque spe veniae. Sed respondetur quod illis verbis non significatur defuisse Esau auxilium ad paenitendum sed tantum significatur quod non potuit obtinere a

patre quod retractaret factum de benedictione data Iacob et illius facti paenitentiam agere, dolor tamen Esau procedebat ex amissione boni temporalis, ex quo constat fuisse insufficientem paenitentiam. Quarto obiiciunt locum illum MATH. 12: omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus spiritus autem blasphemiae non remittetur eis et si quis peccaverit in filium hominis remittetur ei, si autem quis peccaverit in Spiritum Sanctum nec remittetur ei in hoc seculo neque in futuro. Varias sunt expositiones huius loci, quid, scilicet, sit peccatum in Spiritum Sanctum, de cuius remissione disputat D. TH. 2-2 q. 14. Sed dicendum est cum ATHANASIO EPISTOLA PRIMA AD SERAPIONEM peccatum in Spiritum Sanctum appellari peccatum illud quod committitur contra Spiritum Sanctum acceptum personaliter, hoc est, pro tertia persona Trinitatis vel essentialiter pro divina ipsa essentia aut tota Trinitate et hoc peccatum docet non esse remittendum in hac vita neque in futura, et videtur haec expositio conformis textui, nam Iudei blasphemabant de Christo dicentes illum esse samaritanum voracem et cum publicanis ambulare, quod peccatum, quia erat contra Christum quatenus homo est et ita dicit esse illis remittendum, sed cum postea dixerunt in nomine Bercebu eiecisse demonia, quae re vera eiecebantur divina virtute, peccatum commisserunt contra divinam virtutem sive contra Christum ut Deus erat et ideo docet hoc peccatum fuisse blasphemiam in Spiritum Sanctum atque adeo non esse illis remittendum, non quia nullo modo remittendum esset sed quia non remitteretur sine longa et luctuosa penitentia. Hanc expositionem tradit etiam CIPRIANUS lib. 3 AD QUIRINUM c. 28 ubi docet non remitti in Ecclesia peccatum quod contra Deum committitur; idem lib. DE LAPIS ET EPISTOLA 52; docet etiam BASILIUS in REGULIS BREVIORIBUS responsione 263; CHRI [30r] SOST(OMUS) HOMILIA 42 IN MATH, ubi super hanc expositionem addit quod hoc peccatum proprie committitur cum committitur ex malitia; idem docet ATHANASIUS oratione secunda CONTRA ARIANOS. Et in hanc expositionem coincidit omnis expositio SCHOLASTICORUM dicentium hoc peccatum in Spiritum Sanctum esse peccatum ex malitia, repugnans principio sanctificationis nostrae et remissionis peccatorum, quale est peccatum desperationis de obtinenda venia. Si autem quis quaerat quare de hoc peccato specialiter dicatur nec remitti in hac vita neque in futuro seculo respondet CHRISOST(OMUS) loco citato quod, quamvis omne peccatum mereatur puniri in hac vita atque in futura, quaedam tamen peccata

punit Deus in hac ita ne puniat in futura, hoc vero peccatum in Spiritum Sanctum et punit in hac vita et in futura, ut exemplo constat in peccato Iudeorum qui puniuntur in hac vita tam in excidio templi hyerosolimitani quam in proprii regni privatione, et puniendi sunt in futura vita.

Obiiciunt ultimo nobis locum illud ad HEBRAE. 6: *impossibile est eos qui semel sunt illuminati et gustaverunt donum caeleste et prolapsi sunt iterum renovari ad paenitentiam*. Sed omnis expositio huius loci est non esse sermonem Pauli eo loco de renovatione per paenitentiam virtutem neque per paenitentiam sacramentum, sed loqui de renovatione per paenitentiam quae fiebat in primitiva Ecclesia simul cum Baptismi susceptione, de qua paenitentia loquitur PETRUS cum ait *paenitemini et baptizetur unusquisque vestrum*, vocat PAUL(US) illuminatos eos qui baptizantur quia baptismus est sacramentum fidei illuminantis intellectum; docet autem non posse renovari per paenitentiam baptismi, quia qui baptizantur commoriuntur et consepeliuntur Christo, qui, postquam resurrexit a mortuis, iam non moritur et ideo sicut mors reiteranda non est sic baptismus reiterari non potest et hac ratione intelligitur locus ille ad HEBRAE. 10: *voluntarie peccantibus iam non relinquitur hostia pro peccatis*

QUAESTIO 13. AN ALICUI DEFUERIT IN HAC VITA OBIECTUM CREDENDUM TAMQUAM MEDIUM NECESSARIUM AD SALUTEM.

Hactenus loqui sumus de auxiliis necessariis ad salutem in generali, specialis autem modo difficultas est an omnibus proponatur in hac vita obiectum fidei quod necessarium credendum est tamquam medium ad salutem.

Supponendum est primo fuisse necessarium ad salutem credere [30v] aliquod obiectum supernaturale. Ita docent SCHOLASTICI in 3 d. 24; D. TH. 2-2 q. 2 a. 3, 1 CONTRA GENTES p 5. Et colligitur ex illo ad HEB. 11: *accidentem ad Deum oportet credere quia est et quod accidentium ad se remunerator est*; et eodem loco: *sine fide impossibile est placere Deo*, ubi de remuneratione praemii supernaturalis est sermo, omnium theologorum sententia, et de fide supernaturali, haec enim est quae Deo placet. Tantum est difficultas quod

sit hoc obiectum et an omnibus proponatur etiam nutritis in silvis et in remotissimis insulis degentibus.

Ex his colligitur tamquam certum falsam esse sententiam quam sequutus est SOT(US) 2 DE NATURA ET GRATIA c. 11 in impressione Venetiis, ubi asserit quod laborantibus ignorantia invincibili sufficiens est ad salutem cognitio naturalis obiecti naturalis quod naturaliter proponitur. Quam sententiam sequitur VICTORIA tertia parte RELECTIONIS de veniente ad usum rationis et sequutus fuit VEGA lib. 6 super TRIDENTINUM c. 20, ubi docet quod, quamvis in omni lege fuerit in praecepto fides supernaturalis, nunquam tamen fuit medium necessarium ad salutem. Haec tamen sententia merito ut erronea in fide reiicitur ab omnibus theologis; est enim aperte contra TRIDENTINUM sessione 6 canone 3 ubi definitur: si quis dixerit absque Spiritus Sancti inspiratione posse hominem credere, sperare et diligere sicut oportet ut ei iustificationis gratia conferatur anathema sit. Idem docet CONCILIUM ARAUSICANUM c. 7 et MILEVITANUM c. 4, ubi asserunt ad credendum sicut oportet esse necessarium auxilium in intellectu et voluntate. Unde merito SOT(US) hanc suam sententiam retractavit in 4 d. 1 q. 2 a. 3 et late reiicit CANO in RELECTIONE DE SACRAMENTIS IN GENERE c. 2 ubi contrariam dicit esse APOSTOLI ad EPHE. 2 ubi ait *gratia salvi facti estis per fidem et hoc non ex vobis, donum enim Dei est ne quis gloriatur*.

Propterea alii affirmarunt Deum providere omnibus de obiecto necessario ad salutem absque ullo miraculo quoniam illuminat interiorius intellectum lumine supernaturali ex cuius illustratione potest homo sequi bonum rationis sive donum honestum, quae cognitio sufficiens erit ad iustificationem. Differt haec sententia a priori citata et ab errore PELAGIANORUM quia haec constituit auxilium in intellectu supernaturali tamquam necessarium ad salutem, quod illa prior negat, quamvis neutra constituat obiectum materiale supernaturale tamquam necessarium. Probatur haec sententia ab his auctoribus quia Deus providet omnibus etiam degentibus in remotissimis insulis de obiecto credibili necessario ad salutem absque ullo miraculo, sed non potest absque miraculo proponere omnibus obiectum materiale supernaturali, quia fides huius obiecti habetur per auditum secundum illud ad HEB. 11: *fides per auditum, auditus autem per vocem, quomodo credent sine praedicante* etc., ergo sufficit [31r] ad salutem cognitio boni honesti ex lumine supernaturali. Secundo, quia, ut docet S. TH. 1-2 q. 89 articulo ultimo, si per-

veniens ad usum rationis sequatur bonum rationis convertendo se ad bonum honestum assequetur remissionem peccati originalis, sed remissio peccati non est sine gratia, ergo conversio ad bonum rationis ex lumine supernaturali sufficit ad assequendam gratiam ac proinde ad salutem.

Sed haec sententia, quamvis nihil contra fidem contineat, falsa tamen iudicatur ab omnibus theologis omnes enim asserunt necessarium esse credere obiectum aliquod materiale supernaturale, saltem illud quod expressit PAUL(US) ad HEB. 11. scilicet *quod Deus sit et quod remunerator est*. Ita docet D. TH. 2-2 q. 2 a. 7 et 3 p. q. 65 a. 3 et SCHOLASTICI in 3 d. 25; ALEX(ANDER) 3 p. q. 29 memb. 2 a. 1: SOT(US) 2 DE NATURA ET GRATIA c. 11 et in 4. d. 1 q. 2 a. 4 et d. 5 q. unica a. 2; CANO in RELECTIONE DE SACRAMENTIS IN GENERE p. 2 q. 2; omnes enim hi asserunt necessarium esse credere aliquod obiectum materiale supernaturale in quo contineatur fides Christi quae necessaria est ad salutem saltem implicite, quae re vera continetur in hoc credibili tamquam in principio universali: Deus est et remunerator est sive provisor omnium per modos sibi placitos, in quo continetur iste modus peculiaris providendi et remunerandi per Christum. Ita docet AUG(USTINUS) lib. 1 DE GRATIA ET PECCATO ORIGINALI c. 7; et lib. 2 c. 24; et lib. 3 c. 4; ubi docet omnes antiquos Patres fuisse re et spiritu christianos, quia fidem Christi saltem implicitam habuerunt, non tamen nomine christiani quia hoc nomen christianus cepit in lege evangelica, secundum illud ISAIAE 62: *vocavit tibi nomen novum quod os Domini locutus est*. Et ratione probatur quia ideo proponitur nobis obiectum credibile per fidem ut voluntas illud amore prosequatur tamquam magis amabile et ab eo supernaturali premio donetur, sed non potest dirigi voluntas in hoc obiectum per cogitationem boni honesti etiam ex lumine supernaturali, ergo necessarium est credere obiectum aliquod materiale supernaturale. Secundo, quia illud obiectum credibile necessarium est ad salutem in quo continetur fides Christi quae est etiam necessaria, sed haec fides non continetur in ratione formali credendi sed potius in principiis quibus assentimur, ergo necessarium est obiectum aliquod creditum supernaturale in quo fides Christi contineatur. Ultimo, quia dispositio ad gratiam assequendam necessaria est dilectio supernaturalis Dei, sed haec non potest haberi nisi Deus cognoscatur ut finis supernaturalis est, ergo non suf-

ficit bonum aliquod rationis sed necessarium est obiectum supernaturale, saltem illud quod est et remunerator est.

Sed dicendum nobis est quod Deus providet omnibus hominibus de medio et obiecto credibili necessario ad salutem eo ipso quod paratus est sibi proponere, nisi omnes [31v] resistent. Ita docuit D. TH. respondens ad argumentum de nutrito in silvis, DE VERITATE q. 14 a. ad 1m. et 2m. dicens ad providentiam Dei spectare providere omnibus de medio et obiecto necessario ad salutem, nisi homo impediatur illud; si autem faciat quod in se est, Deus illuminavit illum aut interius aut exterius per exteriorem praedicationem, sicut misit Petrum ad Cornelium, quia hac veluti lege vult Deus omnibus providere si ipsi faciant quod in se est. Ita docuit ALEX(ANDER) 2p. q. 112 memb. 8 a. 1 et 3 p. q. 78 memb. 3 a. 1; BONA(VENTURA) in 3 d. 25 a. 1 q. 2; SOT(US) in 4 d. 5 q. 1 a 2 et 2 DE NATURA ET GRATIA c. 12. Et colligitur ex illo communi axiomate theologorum: facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, ubi nomine gratiae intelliguntur auxilia et media necessaria ad salutem; quod si axioma istud intelligatur de faciente quod in se est ex auxilio supernaturali infallibiliter assequetur gratiam debitam dispositioni supernaturali proporcionatae, si autem intelligatur de faciente quod est in se ex viribus naturae tantum, quamvis non assequatur gratiam infallibiliter et de lege, confidendum tamen est de divina bonitate et misericordia quod illuminabit eius intellectum per fidem supernaturalem de obiecto necessario; dixi non infallibiliter assequetur gratiam quia gratia debita non est operibus naturae quae improporcionata sunt et remota dispositio ad gratiam. Ita intelligendum esse hoc axioma commune docent DECANUS LOBANIENSIS a. 7; DRIEDO DE CAPTIVITATE etc. 2p. c. ultimo; MOLINA q. 14 a. 13 disputatione 10 et ROFFENSIS a. 30 CONTRA LUTERUM, ubi docet eodem sensu esse intelligendum illud IOAN. 1: *dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Sed addendum amplius est praecedendum esse quod etiam non facienti quod in se est praestat Deus saepe auxilia excitando et pulsando eius intellectum, ita ut procederet Deus ad maiora auxilia, nisi homo resisteret in omnibus. Sic esse intelligendum illud APOCALIP. 3: *ego sto ad ostium et pulso* docent hi doctores et illud MATH. 23: *quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alis et nolivisti* et illud ISAIAE 63: *tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem mihi*.

Ad primum argumentum respondetur quod Deus absque mira-

culo providet omnibus modo supra explicato quamvis quia ex infidelibus pauci sunt qui recte vivant secundum legem naturae, non mirum est si ignorantia invincibili laborent eorum quae necessaria sunt ad salutem. Ad secundum argumentum respondetur quod, secundum doctrinam S. TH. in loco citato, si perveniens ad usum rationis convertatur ad debitum finem, scilicet, ad Deum finem naturalem, adimplendo praeceptum naturae, Deus illuminabit illum circa verum finem supernaturalem, quem potest diligere supernaturaliter adimplendo praeceptum supernaturale et hac ratione assequetur remissionem peccati originalis, non autem per solam [32r] conversionem ad bonum rationis.

QUAESTIO 14. UTRUM DONUM PERSEVERANTIAE OMNIBUS CONCEDATUR.

Duobus modis accipitur perseverantia, ut docet D. TH. 1-2 q. 109 a. 10 et AUG(USTINUS) lib. DE CORREPTIONE ET GRATIA c. 11 et 12: primo accipitur pro conservatione gratiae usque ad finem vitae, quae appellari solet perseverantia in actu secundo, alio modo accipitur pro potestate permanendi in gratia usque ad finem vitae sive haec potestas se teneat ex parte Dei, qui paratus est dare perseverantiam in actu secundo, sive ex parte nostra ratione alicuius habitus quo possimus perseverare, quae perseverantia dicitur in actu primo.

Conveniunt omnes datum fuisse donum perseverantiae omnibus hominibus in primo parente ante peccatum, accepta perseverantia secundo modo, quo dono possent primi parentes et posterius eius permanere in gratia usque ad finem vitae, quia fuit illis datum donum gratiae habitualis et iustitiae originalis, quod sufficiens erat ad implendum omnia praecepta naturalia et supernaturalia et vitandum omnia peccata etiam venialia et ad superandum tentationes, praesertim, cum in eo statu non impugnaretur homo tentationibus internis sed solum externis, a Deo coercebatur appetitus iustitiae originalis freno. Ita docet AUG(USTINUS) lib. 3 HYPOGNOSTICOM ad principium et DE CORREPTIONE ET GRATIA c. 10, ubi ait quod non fuit datum primis parentibus donum quo non possunt non perseverare, hoc enim beatorum est proprium, sed datum fuit donum quo possent perseverare si vellent. Secundo conveniunt omnes non esse sufficiens gratiae habitualis donum eo modo quo confertur homini

post lapsum primi parentis, scilicet, absque dono iustitiae ad permanendum in gratia usque ad finem vitae sed necessarium esse aliud auxilium superadditum gratiae. Ita definivit TRIDENTINUM sessione 6 canone 22 et ARAUSI(CANUM) canone 7 et 10 his verbis: si quis dixerit hominem iustificatum absque speciali auxilio posse permanere usque ad finem vitae in iustitia accepta vel cum eo non posse anathema sit.

His igitur suppositis primo dicendum est omni homini iusto conferri in hac vita auxilium perseverantiae in actu primo, quamvis non omnibus in actu secundo. Patet haec conclusio quia in his quae necessaria sunt ad salutem nulli deest auxilium, sed ad permanendum in gratia usque ad finem vitae eget homo alio speciali auxilio praeter gratiam habitualem, ergo nulli [32v] deest auxilium quo possit perseverare et illud efficere in actu secundo, si velit.

Secundo dicendum est auxilium in actu secundo et cum effectu solum conferri his qui permanent in gratia usque ad finem vitae vel saltem per longissimum tempus. Patet haec conclusio quia ad vitandum omnia peccata mortalia aut per longissimum tempus aut usque ad finem vitae indiget homo auxilio superaddito gratiae habituali, cum gratia non tollat carnis rebellionem, ergo his qui perseverant usque ad finem vitae vel permanent in gratia per longissimum tempus conceditur auxilium speciale, quod nos appellamus perseverantiam in actu secundo, quod non tantum consistit in interiori ratione sed etiam in ablatione impedimentorum et occasionem (sic) peccandi.

Si autem quis quaerat, an omnibus concedatur auxilium perseverantiae contra peccata venialia, ita ut non tantum non incidat in mortalia sed neque in venialia incurrat, respondetur quod hoc auxilium non omnibus confertur sed potius est speciale privilegium quod soli Beatae Virgini legitur concessum et ita an aliis communicatum fuerit incertum est; unde non est de aliis temere asserendum. Ita definit TRIDENTINUM sessione 6 canone 11 c. 23 ubi ait: si quis dixerit hominem iustificatum posse in tota vita vitare omnia peccata etiam venialia absque speciali privilegio quemadmodum de Beatissima Virgine tenet Ecclesia anathema sit. Ita docet MILEVITANUM canone 6 et 7 et AFRICANUM canone 81; docuit INOCENTIUS PRIMUS in EPISTOLA AD CONCILIUM CARTAGINENSE quae est 25; et CELESTINUS primus in EPISTOLA 1 AD EPISCOPOS GALLIAE. Et colligitur ex illo IOAN. 1: *si dixerimus quod peccatum non habemus etc.* et ex

illo ECCLESIAS. 7: *non est homo iustus in terra qui faciat bonum et non peccet*. Haec etiam peccata venialia in se ipso experiebatur PAUL(US), quando dicebat de se ipso ad ROM. 7: *sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et inclinantem me in legem peccati* etc. De hoc dono plura docet HYERO(NIMUS) in EPISTOLA AD THESIPHONTEM et lib. 1 DIALOGORUM CONTRA PELAGIANOS ET AUG(USTINUS) lib. DE PERFECTIOE IUSTITIAE.

Sed obiiciet quis quia, si non omnibus conceditur hoc privilegium, quo possint omnia venialia vitare, sequitur quod nullus peccat venialia committendo, quia nemo peccat in eo quod vitare non potest. Respondetur quod quamvis non deur privilegium ad vitandum omnia peccata collective, est tamen in potestate cuiusque iusti vitare singula peccata distributive et ideo quodlibet illorum in particulari imputatur sicut quamvis iustus per solam gratiam habitualement non possit vitare omnia peccata collective potest tamen singula peccata vitare et ideo nullum est quod non imputetur.

QUAESTIO 15. AN DEUS PRAESTET OMNIBUS PARVULIS AUXILIUM NECCESSARIUM AD SALUTEM.

Hactenus disputatum est de adultis de quibus dictum est omnibus praestari auxilium [33r] sufficiens. Specialis difficultas est de parvulis an illis praestet Deus auxilia necessaria et dubii ratio est quia multi parvulorum moriuntur in u'eris maternis, quibus non potuit remedium salutis applicari, multi etiam post egressum ab utero non sunt adepti baptismi occasionem, igitur h's non videntur sufficienter provisum.

Propter hoc argumentum CAI(ETANUS) 3 p. q. 68 a. 2 et 11 docet sufficienter parvulis fuisse provisum, nam si editi sint in lucem et adsit baptismi copia possunt baptizari, si autem non adsit facto signo Crucis super puero et invocato Trinitatis nomine tempore necessitatis sufficienter providetur parvulo contra originale, si autem editi non sint in lucem tempore necessitatis utendum est eodem signo Crucis et eadem Trinitatis invocatione, quibus sufficienter providetur. Haec tamen sententia CAI(ETANI) tamquam erronea vel ut minimum temeraria reicitur ab omnibus, est enim contra illud IOAN. 5: nisi quis renatus fuerit ex aqua Spiritu Sancto etc; et est contra AUG(USTINUM) lib. DE NATURA ET GRATIA c. 8, ubi de puero cui non potuit applicari baptismus ait: absolvat eum PELAGIUS et

aperiat ei regnum caelorum contra sententiam Dei, quem tamen non absolvit APOSTOLUS; unde commentaria illa CAI(ETANI) merito abrasa fuere iusu PII v in impressione facta Romae.

Propterea GREGO(RIUS) in 1 d. 46 q. 1, RUARD(US) a. 3 folio 256 et DRIEDO DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII titulo 5 c. 3 asserunt Deum sufficienter providisse omnibus parvulis in primo parente, post lapsum tamen eorum non habuisse voluntatem antecedentem dandi gloriam et media ad gloriam omnibus saltem parvulis qui moriuntur in uteris maternis vel quibus post egressum ex utero non potuit baptismus applicari. Videtur probari haec sententia, quia si aliud esset relictum remedium pro his parvulis deberet esse in potestate parentum vel eorum qui curam gerunt parvulorum, sed nullum fuit tale remedium pro his qui moriuntur in utero solo interventu causarum naturalium neque pro his quibus post egressum ex utero defuit aquae copia vel pro illis qui nati sunt inter infideles laborantes ignorantia baptismi, ergo omnibus his nullum fuit relictum remedium salutis.

Sed optima sententia sequenda a nobis est cum omnibus theologis praeter citatos quod, scilicet, omnibus parvulis relictum est remedium sufficiens ad salutem sive in lege gratiae sive ante legem, sive ante peccatum sive post, sive ante egressum ex utero sive postea. Ita docent SCHOLASTICI et AMBRO(SIUS) 2 lib. DE VOCATIONE GENTIUM c. 8. Et colligitur ex illis locis in quibus probavimus fuisse in Deo voluntatem antecedentem erga omnes. Ita colligitur ex illa AD TIMO. 2: *Deus vult omnes homines salvos fieri* [33v] et 2 REGUM 4: *non vult Deus animam perire*; et ex illo EZECHIELIS 18 et 33: *nolo mortem peccatoris* etc et ex supra citatis. Tum etiam, quia PAUL(US) pro omnibus dicit Christum esse mortuum et pro omnibus praecipit orare, ergo omnibus voluit Deus salutem et media ad illam. Nec valet dicere haec testimonia intelligenda esse ante peccatum et non post, quoniam illud EZECHIELIS post peccatum intelligitur et illud PAUL(I) ad ROM. 5: *cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro omnibus mortuus est*, tum etiam quia si pro omnibus peccatoribus Christus non esset mortuus, quamvis eius passio esset pretium sufficiens pro omnibus, non esset omnium redemptor, nisi voluisset passionem suam omnibus applicare. Secundo probari potest quia ante legem gratiae instituit Deus sacramenta pro omnibus parvulis et in lege gratiae instituit baptismum, ergo omnibus illis reliquit sufficiens remedium et omnium eorum voluit salutem.

Ad illud quod dicitur de pueris, qui moriuntur in utero matris quibus nullum videtur institutum fuisse remedium, respondeatur quod cum hi parvuli non sint capaces remedii per proprium actum neque adhuc subiiciantur sensibus adulatorum, tamquam remedium eorum accommodatum statui provisum esse in causis naturalibus pro illo tempore, quae causae sufficientes sunt ut puer egrediatur ex utero et post egressum baptismum suscipiat; quod si aliquando causae impediuntur id fit Deo permittente et non prohibente sicut permittit et non prohibet peccata in adultis, praesertim quod parentes potuerunt uti remedio orationis ne impedirentur causae naturales sicut saepe utimur ad impetrandos naturales effectus pluviam, scilicet, serenitatem et alia huiusmodi.

Ad illud quod dicitur de parvulis, quibus post egressum ex utero defuit aquae copia, respondetur id rarissime evenire et saepe incuria parentum vel eorum quorum interest consulere saluti pueri; si tamen aliquando contingat absque parentum culpa, intelligendum est Deum velle permittere defectum illum in penam peccati originalis, neque hoc derogat voluntati antecedenti circa adultos quod Deus permittat plures damnari. An autem in eo casu licitum esset parentibus aliud remedium a Deo petere praeter baptismum, maius dubium est, sed breviter dicendum est licitum non esse; cuius ratio est quia omne aliud remedium praeter baptismum est miraculosum et praeter ordinariam legem, non autem licet petere a Deo miraculum, ut docuit AUG(USTINUS) l'ib. 1 DE ORIGINE ANIMAE c. 9 et lib. 2 c. 10.

Ad illud quod dicitur de nutritis inter infideles, respondetur quod, si infideles parentes fecerint quod in se est secundum legem naturae, sicut illuminabuntur a Deo in his quae pertinent ad eorum salutem, sic etiam illuminabuntur in his quae pertinent ad salutem pueri. [34r] Ad illud quod obiici solet de puero nutrito in silvis respondetur quod, si cum primum pervenit ad usum rationem convertatur in honestum finem, illuminabitur a Deo circa obiectum supernaturale necessarium ad salutem et ita potest iustificari sive vera sit sententia D. TH. de perveniente ad usum rationis sive non.

Articulus 4. Utrum praedestinati eligantur a Deo.

Prima conclusio: praedestinati eliguntur a Deo. Secunda conclusio: praedestinatio est posterior electione et electio dilectione.

Circa utramque notandum est quod nomine electionis intelligit D. Th. efficacem volitionem dandi gloriam praedestinatibus, nam, quamvis gloria sit finis praedestinati circa quem versatur intentio, quia tamen primi motivi volitionis Dei, quod est divina bonitas, gloria ipsa se habeat ut medium circa quod versatur electio, ideo volitionem efficacem dandi gloriam praedestinatibus appellat D. Th. electionem.

Secundo notandum est quod D. Th. quaesivit an praedestinati eligantur a Deo et respondet assignando ordinem inter praedestinationem et electionem et dilectionem asserens primo quod dilectio est prior electione secundum rationem, cuius ratio est quia Deus aliquem diligere est illi velle absolute bonum, eligere autem illum est prae aliis illi velle bonum et quia prius est velle bonum quam prae aliis velle, ideo dilectio est prior electione Dei. Secundo asserit quod electio est prior praedestinatione, cuius ratio est quam assignat D. Th. in littera, quia voluntas dandi gloriam quae est voluntas finis Dei est prior volitione eorum quae ordinantur ad gloriam, sed voluntas dandi gloriam est electio, voluntas autem et ordinatio mediorum ad gloriam est praedestinatio, ergo. Tertio asserit quod dilectio in nobis est posterior electione et huius ratio est quia voluntas nostra non efficit bonum in re dilecta sed supponit factum et ideo prius praefert bonum quod diligit aliis et postea diligit illud, voluntas tamen efficit bonum in re dilecta et ideo prius est bonum efficere quod est diligere quam bonum ipsum factum aliis praeferre quod est eligere.

Circa hunc articulum pauca solent disputari a doctoribus, duae tamen quaestiones difficiles satis se offerunt nobis disputandae, quarum prima sit [34v]

QUAESTIO 1. AN EFFICAX VOLUNTAS DANDI GLORIAM PRAEDESTINATIS FUERIT PRIUS RATIONE IN DEO QUAM ELECTIO ET SCIENTIA VISIONIS OPERUM.

Haec difficultas eadem est circa homines et angelos et ideo de utrisque videndum est quid sit in ea tenendum.

Conveniunt omnes ante scientiam visionis nostrorum operum fuisse in Deo voluntatem antecedentem dandi gloriam omnibus hominibus et angelis, quia illud 1 ad *Tim. 2 Deus vult omnes homines salvos fieri* non tantum de hominibus sed etiam de angelis intelligendum est, de quibus ac de hominibus eadem ratio est.

Secundo conveniunt omnes non fuisse in Deo ante scientiam visionis operum efficacem voluntatem admittendi omnes homines ad gloriam, quia cum voluntas efficax semper impleatur, si haec praecessisset in Deo, infallibiliter omnes salvarentur, quod falsum est ut supra vidimus.

Tertio conveniunt omnes fuisse in Deo voluntatem efficacem dandi gloriam praedestinatibus, ex cuius voluntatis efficacitate omnes praedestinati infallibiliter assequuntur gloriam. Tantum est difficultas an haec voluntas efficax fuerit ante scientiam visionis operum an vero fuerit posterior illa.

Duplex est sententia circa hanc quaestionem. Prima est quam sequuntur iuniores theologi, CAMERARIUS c. 5 sui *DIALOGI*, IOAN(NES) A BONONIA 1p. sui opusculi, MOLINA q. 23 a. 4 et 5 disput. 1 memb. 6 qui asserunt in Deo non fuisse voluntatem efficacem dandi gloriam praedestinatibus ante illorum merita praevisa, sed post praevisionem meritorum. Dicunt enim hunc ordinem fuisse a Deo servatum in praedestinatione: primo voluntate antecedenti et inefficaci voluit omnibus hominibus gloriam et media ad gloriam, in secundo signo vidit quosdam homines decedentes in gratia quosdam vero alios in peccato et in tertio signo voluit hos excludere a gloria efficaci voluntate in penam suorum demeritorum, illos vero voluit efficaciter admittere ad gloriam in praemium suorum bonorum operum. Probant hanc sententiam primo, quia voluntas efficax est causa necessaria quae necessario impletur, ergo si haec praecessisset in Deo circa gloriam praedestinatorum sequitur quod praedestinati necessario perseverarent in gratia et ideo eorum voluntati inferret necessitatem. Nec valet si dicas inferri quidem necessitatem in sensu composito non autem in sensu diviso, quia voluntas Dei est causa extrinseca et necessitas ex illa proveniens est necessitas ab extrinseco et qua posita necessario sequitur futura gloria, non tamen supposita perseverantia sed et ipsa perseverantia necessario sequitur. Tum etiam quia praedestinatorum debet esse liber non tantum non supposita Dei efficaci voluntate sed etiam hic et nunc eo quod hic et nunc operatur; hoc autem salvari non potest

posita Dei aeterna et efficaci voluntate, ergo talis voluntas non praecessit visionem operum. Secundo quia ut docet DAMASC (ENUS) 2 lib. FIDEI c. 9: voluntas illa quae ex solo Deo est, id est, ante opera praevisa est antecedens et inefficax, ergo si voluntas dandi gloriam praedestinatibus praecessit in Deo nostrorum operum visionem illa erit antecedens et inefficax, non autem efficax qualis est electio. Tertio quia si in Deo esset voluntas efficax, qua eligeret quosdam ante opera praevisa, non posset assignari ratio cur illi qui electi non fuerunt infallibiliter damnentur, quia neque hoc proveniret ex defectu auxilii sufficientis, quod visum est omnibus communicari, praesertim angelis qui fuerunt in gratia creati, neque hoc proveniret ex eo quod electi non essent, quia etiam si in Deo nulla esset electio, multi hominum et angelorum salvarentur per auxilia sufficientia omnibus communicata, praesertim angelis in quibus nulla est appetituum contrarietas et quorum via in unico tantum instanti consummata fuit, ergo dicendum est non praecessisse voluntatem efficacem visionem nostrorum operum. Hanc sententiam sequuntur etiam auctores qui existimant opera nostra praevisa esse causam praedestinationis, quorum sententiae a. 5 citandae sunt atque reiiciendae.

Sed ut respondeamus quaestioni notandum est quod cum quaerimus an efficax voluntas sive electio etc. fuerit in Deo ante visionem nostrorum operum sive scientiam eorundem non est quaestio de cogitatione et scientia simplicis intelligentiae, qua cognoscuntur opera supposito certo auxilio, quoniam si utraque scientia semel admittatur certum est utramque esse priorem scientia visionis et electione hominum ad gloriam. Tantum est quaestio de scientia visionis quae supponit decretum divinum voluntatis circa opera nostra an sit prior in Deo electio quorundam hominum et angelorum ad gloriam quam scientia visionis et electio operum.

Sed, sententia opposita non obstante, sit conclusio: electio quorundam hominum et angelorum fuit in Deo prior ratione quam scientia visionis nostrorum operum, electio autem est voluntas efficax dandi gloriam praedestinatibus. Hanc conclusionem sequuntur S. TH. et CAI(ETANUS) in hoc articulo; SCOT(US) in 1d. 41 q. unica; DUR(ANDUS) q. 1 numero 8; CORDUBA 1 lib. q. 56 opinione 5; SOT(US) super epistola ad ROM. c. 9, DRIEDO DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII c. 3. Sequuntur ex Sanctis hanc sententiam D. HIERONI(MUS) et ANSELMUS super illud ad ROM. 9: *Iacob dilexit Esau autem odio habuit* [35v] CHRISOST(OMUS) HOMILIA 55 IN GENESIM

BERNARD(US). SERMONE 55 IN CANTICA. Et haec sententia probata fuit ab antiquis Patribus tamquam verior et antiquior, nam quamvis temporibus AUGUS(TINI) cepisset Patribus displicere, eo quod dura nimis videbatur, tandem paulo post recepta fuit tamquam Litteris Sacris conformior et ideo amplexus est eam AUGUS(TINUS) lib. DE BONO PERSEVERANTIAE c. 3, 11 et 12. Et colligitur ex illo ad ROM. 9: *cuius vult miseretur et inferius: annon habet potestatem figurus* etc. Colligitur etiam ex illo ad EPHE. 1: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti*, non dixit autem quia eramus sancti; et inferius: *praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum secundum propositum voluntatis suae* et addit infra: *in quo nos sorte vocati sumus*, id est, *gratuita Dei electione absque nostris operibus*, ut explicat AUG(USTINUS) lib. DE BONO PERSEVERANTIAE c. 7 et 2 ad TIM. 1: *vocavit nos vocatione sua sancta non secundum opera nostra sed secundum propositum suum* et ad TITUM 3: *non ex operibus quae fecimus nos sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit* et IOAN. 15: *non vos me elegistis sed ego vos elegi*, et PSALM. 17: *sanctum me fecit quia voluit me*, in quibus omnibus locis salus praedestinatorum refertur in voluntatem Dei gratuitam non in opera praevisa, sed maxime probat hanc conclusionem locus ille ad ROM. 9: *cum nondum nati fuissent neque aliquid boni aut mali egissent ut secundum electionem propositum Dei maneret etc. Iacob dilexi Esau autem odio habuit*, quem locum eludere conantur autores oppositi dicentes verba illa Pauli non esse intelligenda de Iacob et Esau sed de posteris Iacob et Esau, ita ut nomine Iacob intelligatur Synanoga, quae propaganda erat ex Iacob, nomine autem Esau intelligantur posterii Esau; Dicunt etiam PAUL(US) non loqui de electione ad gloriam sed de electione ad hereditatem temporalem ad quam admissus fuerat Iacob reiecto Esau. Quod probant ex multis. Primo quia Esau non servivit Iacob ut dicitur in illis quia maior serviet minori, sed posteris Esau, scilicet Idumei servierunt Iacob posteris. Secundo quia in illis verbis, *sed ex vocante dictum est quia maior serviet minori*, refert PAUL(US) verba quae Dominus dixerat Rebecae GENES. 25: *duae gentes sunt in utero tuo et duo populi ex utero tuo discedentur, populus quem populus superavit et maior serviet minori*, quae verba non de stirpibus ipsis Iacob, scilicet, et Esau sed de populis qui ab illis originem traxerunt intelliguntur et de servitio tantum corporali. Tertio quia verba illa Iacob dilexit etc refert PAUL(US) ex

MALACHIA. 3; ubi certum est sermonem esse de populis quia loquitur ibi Ma [36r] lachias de Ecclesia quae propaganda erat ex Abraham per Isaac et Iacob, non autem per Ismael. Sed quamvis fortasse iste sit sensus litteralis, praesertim apud Genesim citatum, tamen sub ea littera intendit PAUL(US) exprimere spiritum in ea contentum, scilicet, electionem populi gentilis ad fidem, quam PAUL(US) docet ibi non esse ex eorum operibus sed ex Dei voluntate, quoniam putabant Iudei fidem esse sibi debitam propter opera legis et ut hoc excluderet PAUL(US) adducit in confirmationem electionem Iacob et odium Esau absque visis operibus, quod de electione ad gloriam manifeste intelligit. Ita docet AUG(USTINUS) lib. 1 AD SIMPLICIANUM q. 2 et CHRISOST(OMUS) homilia citata. Deinde vero ratione probatur quia electio mediorum et operum atque eorumdem visio supponit intentionem finis, sed voluntas dandi gloriam praedestinatatis est voluntas finis, electio autem nostrorum operum et eorumdem visio versantur erga media ad gloriam, ergo supponunt necessario voluntatem dandi gloriam praedestinatatis tamquam ratione priorem illis. Neque obstat si dicas cum opposita sententia supponi voluntatem dandi gloriam sed eam esse inefficacem et antecedentem non autem efficacem qualis est electio. Contra hoc enim est quia efficax applicatio mediorum supponit efficacem voluntatem finis ex qua habet efficaciam, ergo praedestinatio quae est applicatio efficax mediorum et operum supponit efficacem voluntatem circa finem, scilicet, circa gloriam. Secundo quia si in Deo non praecederet efficax voluntas dandi gloriam praedestinatatis nostrorum operum visionem, sequeretur quod non magis deberent praedestinati Deo quam reprobi quod est falsum. Probatur sequentia quia multi ex reprobis praeveniuntur maiori auxilio quam multi ex praedestinatatis, ergo nisi auxilium in praedestinatatis haberet infallibilem effectum ex efficaci voluntate Dei, quae non fuit circa reprobos, sequeretur quod non magis deberent Deo quam reprobi. Tertio argumento AUG(USTINI) probatur, lib. DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO, c. 22 et 23, quia multi ex parvulis baptizantur et salvantur, multi autem neque baptizantur neque salvantur, sed quod hi baptizentur et salventur non potest tribui eorum operibus, cum nulla sint parvulorum opera nec potest tribui meritis parentum, quoniam multi infidelium filii baptizantur et salvantur, relictis saepe filiis fidelium, videmus quoque filios iustorum damnari et filios iniustorum non damnari aut aequè damnari filios iustorum et

iniustorum, ergo dicendum est eos qui salvantur salvari ratione efficacis Dei voluntatis, qua hi fuerunt electi et non illi. Quarto probatur quia efficax haec voluntas ante praevisa opera neque derogat Dei iustitiae nec misericordiae nec libertati nostri arbitrii, ergo cum ex ea sequatur hominem esse infallibiliter salvandum necessario [36v] concedendum est in Deo. Antecedens patet quia in primis non iustitiae, quoniam bonum gloriae est Dei proprium et nulli hominum aut angelorum ex natura sua debitum, ergo potuit Deus pro suo beneplacito illud communicare his et non illis; non misericordiae quia maxime elucet divina misericordia in eo quod quidam eligantur ad gloriam, aliis relictis; non nostrae libertati, quia non aliter Deus praedefinit aut efficaciter vult opera nostra quam prius ratione viderit eadem opera procedere libere a nostro arbitrio sub conditione quod nobis auxilietur, ergo concedenda est haec electio in Deo ante visionem operum. Ultimo quia tota ratio propter quam oppositi autores negant hanc electionem ante visionem operum est ne laedatur libertas nostri arbitrii, sed ipsi concedunt vel tenentur concedere hanc efficacem voluntatem circa opera ipsa, ergo si circa opera nullum est inconveniens ponere voluntatem efficacem Dei nullum erit inconveniens eandem ponere circa gloriam ipsam. Sed sunt qui respondeant Deum non praedefinire opera nostra in se ipsis, sed potius auxilio tamquam in causa operum et ideo nullam inferri necessitatem meae voluntati. Sed contra hoc est quia iam sequeretur quod id in quo maxime elucet divina providentia, scilicet, actus humanus liber non esset provisum in se ipso sed in causa; tum etiam sequeretur quod Deus immediate causaret actum nostrum liberum quem immediate neque ordinaret neque vellet per scientiam practicam, quod etiam in humano artifice repugnat aliquid producere ad extra quod non sit ordinatum per artem nisi ignoranter et non ex arte operetur. Neque obstat si dicas quod quamvis divina praedefinitio non sit circa actum nostrum in se ipso immediate est tamen immediate circa ipsum divina gubernatio. Contra hoc enim est quia divina gubernatio non addit aliam voluntatem circa actum supra illam quae includitur in praedefinitione, sed tantum addit executionem exteriorem quae est actus noster, ergo dicere quod gubernatio versatur immediate circa actum nostrum est dicere quod versatur immediate circa se ipsam, quod est nihil dicere. Praeterea quia si tantum praedefinitur auxilium quod est causa nostri operis sequetur quod cum auxilium **efficax**

non sit causa nostri operis idemmet opus, quod id in quo potissime consistit nostra salus, non fuerit in se definitum a Deo. Praeterea quia falsum est quod non sit actus noster praedefinitus in se quoniam Deus ab aeterno ordinavit dare auxilium in tempore, sed hoc auxilium quod in tempore datum est efficax est idem cum actu nostro, ergo ab aeterno ordinavit actum nostrum in se ipso. Patet minor quoniam non ordinavit Deus dare auxilium sufficiens, quod est causa operis, quia cum auxilium sufficiens non sit aliud quam voluntas Dei parata ad operandum nobiscum, si hoc auxilium praedefiniret Deus, praedefiniret se habiturum voluntatem operandi nobiscum in tempore quod est falsum et impertinens. Ultimo, quia [37r] contra hanc sententiam inferre possumus inconveniens illatum adversus CATERINUM, nam si Deus tantum praedefinit auxilium, quod est causa nostri operis liberi et ex quo non necessario sequitur opus nostrum, sequitur quod in praedefinitione non cognovit actum nostrum nec perseverantiam nostram neque nostram salutem, sed tantum cognoscit per speculativam praescientiam, quod tamen asserere plus est quam falsum.

Ad argumenta supra facta respondetur quod voluntas efficax Dei non est causa necessaria quae operetur ex necessitate naturae et ut determinata ad unum, sed dicitur causa necessaria quia infallibiliter sortitur effectum quem determinavit libere ab aeterno, sed nego quia infallibilem habeat effectum, inferre necessitatem nostrae voluntati, quia libertas nostra consistit in eo quod possimus hoc et illud, cui non opponitur quod infallibiliter eveniat hoc et non illud, ut falso putavit AR(ISTOTELES) DE INTERPRETATIONE lib. 1 c. 8 Ad objectionem factam respondetur quod non manet libertas in sensu composito, ut argumentum probat, nam supposita voluntate efficaci Dei supponitur etiam actus noster, quo supposito non potest esse libertas ad oppositum, manet tamen libertas in sensu diviso etiam hic et nunc quod ex eo provenit quia Deus non aliter efficaciter ordinavit actum nostrum liberum quam, prius ratione quam praedefiniret, videret actum nostrum procedentem a nostra voluntate libere ut inferius dicemus.

Ad secundam rationem respondetur quod DAMASC(ENUS) loquitur de voluntate Dei quam ex se ipso habet erga omnes homines et talis voluntas, quia electio non est sed complacentia quaedam, est quidem inefficax et antecedens, voluntas autem de qua nos loqui-

mur est circa aliquos tantum hominum et angelorum aliis omissis et relictis et ideo electio est quae est voluntas efficax.

Ad ultimum argumentum respondetur quod, si in eo quaeratur cur hi fuerunt electi ante visionem absolutam operum et non illi, nulla potest reddi ratio praeter liberam Dei voluntatem; qua ratione intelligitur locus ille AUG(USTINI) titulo 26 super IOAN.: quare hunc trahat et illum non trahat noli iudicare si non vis errare, si autem quaeratur cur qui non sunt electi infallibiliter damnentur maior est difficultas, sunt enim qui illud negent et ideo disputanda est alia quaestio.

QUAESTIO 2. AN QUI NON SUNT ELECTI ANTE VISIONEM OPERUM INFALLIBILITER DAMNENTUR.

CATERINUS, quem sequuntur quidam theologi, existimat aliquos hominum [37v] fuisse praedestinos et electos qui infallibiliter assequuntur gloriam, alios vero non esse electos neque praedestinos sed ordinatos tantum per media sufficientia ex voluntate antecedenti, et ex his qui electi non sunt docet aliquos esse salvandos et alios non salvandos. Probat primo aliquos ex non electis salvari quia in non electis manet moralis potentia ad perseverandum in gratia hoc ipso quod non sint exclusi a gloria cum habeant auxilia sufficientia, ergo nec dicemus omnes hos damnari neque omnes hos salvari, sed aliquos damnari et aliquos salvari, quod postulat natura libertatis illorum. Secundo, quia si non electi non salvarentur maxime quia qui salvantur egent perseverantia quae, cum efficacissima sit, provenire debet ex efficaci Dei voluntate qualis non fuit circa non electos. Sed haec ratio est nulla. Probat minor quia potest adultus iustificari quando proximus est morti, quo tempore non eget auxilio perseverantiae, cum per solam gratiam possit quis permanere brevi tempore in illa, ergo iste salvatur etiam si non fuerit electus ad gloriam ante visionem operum. Tum etiam quia parvuli semel baptizati non egent auxilio perseverantiae, ergo si recedant in eo statu, scilicet, infantiae absque electione priori potest salvari. Et confirmatur haec ratio quia, quamvis non fuerit voluntas efficax dandi gloriam ante opera praevisa, potest esse efficax voluntas dandi perseverantiam, ergo potest is, qui non est electus, in gratia perseverare, ergo potest salvari etiam si non fuerit electus. Tertio, quia si non possent non electi salvari vel hoc proveniret quia Deus a"

feri ab illis auxilia sufficientia, et hoc non cum tribuat Deus tam ante peccatum quam post peccatum omnibus auxilia sufficientia; vel proveniret ex eo quod Deus permittit eorum finalia peccata, et hoc non quia ex permissione Dei non sequitur necessario peccatum, alias peccatum tribueretur Deo; vel quia Deus praescivit eos discessuros esse in peccato cuius scientia infallibilis est, et hoc non quia electio facta fuit ante visionem operum et similiter non electio eorum qui electi non sunt; vel proveniret ex voluntate non electorum, et hoc non quia eorum voluntas non manet detracta ad unum neque a se ipsis neque a Deo eo ipso quod electi non sunt; ergo sequitur quod non electi possunt salvari etiam si electi non fuerint. Hanc sententiam sequutus est etiam SIXTUS SENENSIS lib. 6 BIBLIOTHECAE SANCTAE annotatione 243, sed eandem postea retractavit.

Hac tamen sententia non obstante sit conclusio: omnes qui electi non fuerint ante visionem operum infallibiliter damnabuntur. Hanc sententiam sequutus est S. TH. cum CAIE(TANO) in hoc articulo et super epistolam ad Rom. c. 4 et in 1 d. 41 q. 1 et 2 et 2 DE VERITATE q. 6 et sequuntur autores pro nobis citati in superiori quaestione. Et ratione potest probari suppositis his quae determinata sunt quaestione praecedenti. Primo quia omnes qui sal [38r] vantur sunt electi ad gloriam, sed solum praedestinati sunt electi ad gloriam, ergo solum praedestinati revera salvantur, ergo qui non fuerunt electi ante opera praevisa revera non salvantur. Neque obstat si dicas verum esse electos quidem salvari, non tamen verum esse non salvari sicut verum est praedestinos vocari et iustificari, non tamen verum est non praedestinos non vocari nec iustificari; unde sicut non praedestinati possunt ex alia voluntate quam ex electione iustificari sic etiam possunt ex alia voluntate quam ex electione salvari, scilicet, ex voluntate antecedenti. Sed contra hoc est quia Deum aliquos eligere nihil aliud est quam velle illis prae aliis bonum, sed omnibus qui salvantur vult Deus prae alijs bonum, scilicet, bonum gloriae quod reliquis non vult, ergo omnes qui salvantur prius fuerunt electi, ergo nullus non electus salvabitur. Sed si dicas secundo, satis est, ut Deus velit aliquibus bonum prae alijs, quod eligat illos post opera praevisa dando illis gloriam in praemium suorum operum, sic Deus vult reprobis malum prae alijs visis eorum operibus et ideo non necesse est quod fuerit ante opera praevisa electi. Contra hoc est quod media per quae assequuntur gloriam, qui illam in effectu assequuntur visa sunt a Deo futura efficacia, er-

gō fuerunt prius volita efficaciter, ergo procedunt ex voluntate dandi glōriam efficaci, talis est electio ad glōriam ante praevisa opera, ergo quicumque assequuntur glōriam fuerunt electi ante visa opera et non electi non assequuntur glōriam. Secundo probatur quia natura post peccatum remansit inclinata ad malum et fragilis ad bonum, ergo, si ineffaciter ordinetur ad glōriam solum per providentiam generalem supernaturalem proveniente ex antecedenti voluntate, re vera nullus homo assequetur glōria, ergo ut assequatur glōriam debuit esse electus voluntate efficaci ante opera praevisa.

Hanc veritatem simul cum conclusione praecedentis quaestionis probat locus ille Pauli ad EPHE. 1: *elegit nos in ipso* etc et subdit statim: *praedestinavit nos*, ex quo colligitur electionem fuisse factam ante praedestinationem efficacem operum. Neque hunc locum recte interpretatur CATARINUS dicens verba illa PAUL(I) intelligenda esse de electione Apostolorum ad apostolatum. Contra hoc enim est quia verbum *electi* sive *elegit* accipitur in Sacra Scriptura pro his qui assequuntur glōriam, ut constat MATH. 24 in illis verbis: *propter electos abbreviabuntur dies illi* et MARC. 13: *ut in errore inducantur etiam electi si fieri potest*, et inferius subdit: *congregavit electos suos* etc, quibus locis verbum *electi* accipitur absque dubio pro [38v] his qui consequuntur glōriam. Et confirmatur haec ratio quia prima voluntas contra eos omnes qui damnantur ordinans eos in poenam aeternam est voluntas efficax, ergo prima voluntas contra eos omnes qui assequuntur glōriam debet esse voluntas efficax ordinans eos in glōriam, ergo qui non sunt efficaciter electi ante operum visionem re vera infallibiliter damnantur.

Ad argumentum factum in superiori quaestione respondendum est quod ratio propter quam infallibiliter est verum omnes damnari eo ipso quod non electi sunt est quia re vera ita fiet, quare autem ita fiet non est alia ratio nisi quia decedent in peccato, quare autem decedent ratio est quia ita volent; unde eorum damnatio reducitur in propriam voluntatem et in voluntatem Dei permittentem peccata finalia. Si autem quaeras unde cognoscat Deus omnes non electos esse damnandos antequam excludat illos a glōria respondetur ex eo cognoscere quia scientia saltem condicionata cognoscit Deus, quod si in posteriori signo praestet hoc auxilium non electis in hoc tempore et in hac occasione re vera decedent in peccato. Cognoscit etiam se non esse daturum maius auxilium, quo

dato non decederent in peccato et ideo cognoscit eos omnes esse damnandos scientia saltem condicionata; supposita tamen voluntate excludendi illos a gloria cognoscit Deus eorum damnationem non solum scientia condicionata sed scientia absoluta quae est visionis

Ad primum argumentum huius quaestionis respondetur verum esse quod manet in non electis potentia moralis ut perseverent in gratia sed talis potentia non est reducenda in actum, ratio autem quare non reducatur non est defectus auxilii sufficientis sed propria voluntas; unde autem cognoscatur voluntatem non esse reducendam in actum iam est explicatum in praecedenti solutione.

Si autem obiicias inde sequi frustra esse concessa reprobis auxilia sufficientia, si damnandi sunt infallibiliter eo ipso quod non sunt electi ad gloriam ante operum visionem, respondetur quod quamvis sit frustra auxilium sufficiens respectu huius finis, scilicet, consecutionis gloriae non quidem absolute sed in sensu composito supposito quod non sunt electi, tamen non est frustra nisi ex defectu ipsius hominis; ratio autem propter quam auxilium sufficiens non detur frustra non electis ea est quia in collatione illius auxilii ostendit Deus suam misericordiam erga omnes et iustificabitur in operibus suis in die iudicii, quia posset reprobis respondere se non fuisse praeventum auxilio sufficienti et ideo vitare non potuisse peccata atque adeo non esse sibi imputanda, quod non habebit locum concesso se [39r] mel illi auxilio sufficienti.

Ad secundum argumentum respondetur quod, quamvis adultus iustificetur quando est morti proximus, nihilominus indiget speciali auxilio praeventi, tum quia eo tempore maxime impugnatur temptationibus daemonum, tum etiam quia, quod adultus eo tempore moriatur ante quam incidat in occasiones peccandi, est specialis Dei protectio et peculiare Dei beneficium et hac ratione parvulus iustificatus per baptismum indiget speciali auxilio perseverantiae quia quod moriatur et raptus sit antequam malitia mutaret intellectum eius et fictio deciperet animam illius speciale auxilium est. Et sic solvitur confirmatio.

Ad secundam confirmationem respondeatur non esse possibilem voluntatem efficacem dandi perseverantiam non praesupposita voluntate efficaci dandi gloriam, nam cum intentio finis sit causa appetitionis mediorum, sicut assensus priorum est causa assensus conclusionum, non potest esse efficacior appetitio medii quam fuerit intentio finis, sicut assensus conclusionis non potest esse certior

assensu priorum, nullus enim dicet se magis appetere potionem amaram quam appetat sanitatem.

Ad argumentum ultimum constat solutio ex his quae diximus in solutione ad argumentum propositum in superiori quaestione.

Ex his omnibus constat falsam esse sententiam CATARINI asserentis quod quamvis soli praedestinati fuerint electi ante visionem operum multi tamen ex non electis ante praevisionem operum et ex non praedestinatis electi sunt post praevisa opera; constat enim ex dictis omnem non electum ante opera visa infallibiliter esse damnandum.

Articulus 5. An praescientia meritorum sit causa praedestinationis

Conclusio quae directe respondet est negativa, reliquae conclusiones quibus D. TH. respondet huic quaestioni simul sunt inferius disputandae.

QUAESTIO 1. AN PRAEDESTINATIO NOSTRA FACTA FUERIT ANTE PRAEVISUM ORIGINALE PECCATUM.

Quamvis hactenus visum sit electionem praedestinatorum factam fuisse ante opera illorum praevisa restat tamen difficultas an eadem electio facta fuerit etiam ante praevisum peccatum originale. Sunt enim qui putent electionem praedestinatorum fuisse factam post notitiam peccati originalis, quo peccato tota humana natura infecta erat et ex ea tamquam ex massa perditionis dicunt Deum assumpsisse et elegisse quosdam ad gloriam pro sua misericordia, alios vero pro sua iustitia in eadem massa reliquisse. Sic sentit AUG(USTINUS) lib. 1 ad SIMPL(CIANUM) q. 2 et EPISTOLA 105 AD SIXTUM post medium et EPISTOLA 157 AD OPTATUM et in ENCHIRIDIO c. 3 et lib. 6 HYPOGNOSTICOM et lib. 2 CONTRA DUAS EPISTOLAS PELAGIA(NAS) c. 7. Et haec etiam videtur aperte sententia D. TH. in argumento primo huius quaestionis ad tertium ubi docet angelos fuisse praedestinos antequam essent miseri, homines vero post miseriam culpae; et in 3 d. 10 q. ubi docet terminum a quo praedestinationis hominum fuisse culpam; et 3 p. q. 1 a. 3 ad 4 ubi docet praedestinationem supponere praescientiam futurorum; unde, inquit, S. PAUL(US) praedestinus fuit per orationes Stephani quas

videbat Deus futuras; sic etiam Christus praedestinatus fuit in remedium originalis peccati quod Deus praevidebat futurum. Et colligitur haec sententia ex doctrina D. TH. ut interpretatur a THOMISTIS tertia parte loco cita o quod secundum D. TH. ibidem Christus non veniret nisi praeexistente peccato, ergo cognitio peccati fuit prior Christi praedestinatione, sed praedestinatio Christi fuit prior natura praedestinatione et electione, cum sit nostrae praedestinationis causa finalis, exemplaris et efficiens et Christus sit primus praedestinatorum, ergo de primo ad ultimum praescientia peccati originalis fuit prior nostra praedestinatione. Et ratione probatur haec sententia quia in hoc magis apparet Dei misericordia quod homines eligeret postquam facti sunt inimici, quam si eligeret ante inimicitiam, ergo hominum electio fuit facta iam praevisto peccato originali. Secundo probatur quia si non esset peccatum originale multi homines non possent pervenire ad tantam gratiam ad quam de facto perveniunt per sacramenta a Christo instituta post peccatum originale; multi etiam pervenirent ad maiorem gratiam quam sit illa in qua decedunt, quae re vera minor est quam gratia quam acciperent a primo parente, sed haec omnia praevideri et praedeterminari non potuerunt nisi viso peccato originali ergo hominum electio facta fuit post visum peccatum originale. Tertio quia cognitio et electio ad gloriam supponunt cognitionem elegendorum ad illam, sed haec cognitio non potuit haberi nisi viso iam peccato, ergo electio ad gloriam supponit cognitionem peccati. Patet minor quia multi homines essent ante peccatum vel peccato non existente qui re vera non sunt modo fu uri et multi homines futuri sunt post peccatum per incestum, sacrilegium et fornicationem [40r] qui re vera non essent non existente peccato, sed horum cognitio haberi non potuit nisi viso iam peccato, ergo electio hominum ad gloriam supponit scientiam originalis.

Sed opposita sententia verior et probabilior est quia electio hominum et angelorum ad gloriam facta fuit ante scientiam visionis originalis peccati. Ita SCOT(US) in 3 d. 7 q. 3; CAPREOL(US) in 1 d. 41; DURAND(US), GREGO(RIUS); EGID(IUS) et MARSILIUS eodem loco, MOLINA q. 23 a. 4 et 5 disputatione 1 memb. 2. Et probari potest ratione haec sententia quia angeli fuerunt electi ante scientiam peccati originalis, cum eorum electio non dependeret ex peccato originali et tamen angeli iustificati sunt per fidem Christi ut docuit D. TH. 1 p. q. 64 a. 1 ad 4 ubi docet angelos ab initio suae crea

tionis habuisse fidem misterii Incarnationis. Docet etiam CATARI(NUS) opúsculo DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI et opusculo DE GRATIA ANGELORUM; VIGERIUS c. 3 paragrafo 2 suarum INSTITUTIONUM et c. 20 paragrafo 1; docet etiam DIONIS(IUS) CARTUSIANUS super illa verba ISAIAE 63: *quis est iste qui venit de Edom*; idem docuit DECANUS LOBANI(ENSIS) explicans verba citata. 2 et 8; et CAI(ETANUS) 3 p. q. 7 a. 1. Ergo Christus praedestinatus fuit ante visum peccatum, cuius oppositum est fundamentum oppositae sententiae, ergo electio hominum quae facta est per Christum facta etiam fuit ante praevisum originale. Patet etiam consequentia ex eo quia electio hominum et angelorum simul fuit facta. Secundo quia primus parens in statu innocentiae habuit fidem Christi, ut docet D. TH. 3 p. q. 1 a. 3 ad 5 et 2-2 q. 2 a. 7 et docent fere omnes Sancti in illa verba GENESIS 2: *hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea*, quod expressit PAUL(US) ad EPHE. 5 dicens: *hoc sacramentum magnum est ego autem dico in Christo et Ecclesia*, cuius rei fidem facit HYERO(NIMUS) explicans eadem verba ubi ait Adam fuisse primum prophetam qui de Christo et Ecclesia vaticinatus est. AUG(USTINUS) loco citato et 9 lib. super *Genesim* c. 19 ubi docet soporem immisum in Adam fuisse extasim per quam mens eius cognovit novissima quae de Christo prophetauit dicens *hoc nunc os ex ossibus meis*, sed gratia innocentiae primi parentis fuit visa ante peccatum originis, ergo electio per quam habuit gratiam illam fuit facta prius quam esset visum peccatum originale. Tertio quia ordinate volens et agens propter finem prius habet in intentione id quod est ultimum in executione, sed ultimum omnium in executione est regnum Dei et gloria hominum, quia ad illam ordinantur omnia opera supernaturalia Dei ad extra erga creaturas, ergo primum omnium voluit Deus gloriam homini; sunt ergo electi ad gloriam ante praevisum et permissum peccatum originale. Quarto quia [40v] electio huius ad gloriam facta est ex mera Dei liberalitate et absque merito, sicut fuit gratuita illa voluntas qua voluit omnes homines salvos fieri, sed propter hanc solum rationem illa voluntas antecedens fuit ante peccatum originis praevisum, ergo electio hominum ad gloriam fuit facta ante praevisum peccatum originis. Ultimo quia auctores oppositae sententiae tenentur consequenter dicere neque habuisse primam gratiam angelos neque primam gloriam per Christum; similiter primum parentem non habuisse ex fide Christi gratiam innocentiae, quae omnia indigna videntur Christo, tum etiam quia non

facile salvari potest in eorum sententia qua ratione Christus sit caput angelorum, si neque gloriam habuerunt per Christum.

Secunda conclusio sit hominum electio ad gloriam non est facta ante praevisionem condicionalem peccati originis sed posterius. Hanc sententiam libenter fatentur omnes qui existimant futura contingentia cognosci posse ante decretum divinum de re futura. Docet illam MOLINA q. 23 a. 4 et 2 disputatione 1. memb. 7. Et ratio huius conclusionis est quia ante electionem hominum ad gloriam verum erat quod si Deus permitteret originale peccatum primus parens erat peccaturus et verum etiam erat quod re vera erat Deus permissurus peccatum sicut re vera permisit, ergo potuit cognosci a Deo sub ea condicione peccatum futurum. Patet consequentia, quia, si verum erat, cognoscibile erat in eo priori in quo erat verum et si cognoscibile erat, a Deo cognoscibile erat; antecedens patet quia propositio de futuro non incipit esse vera, ergo si posita electione et decreto erat verum quod Adam erat peccaturus ante ipsam electionem erat prius verum quod Adam erat peccaturus.

Ad id quod obiicitur ex D. TH. respondetur D. TH. fortassis non esse contra nos quia nos etiam asserimus Christum non esse futurum nisi existente peccato originali; cum hoc tamen dicimus Christum fuisse praedestinatum et homines electos ante praevisum originale et ratio huius est quia Deus ordinavit Christum esse futurum optimo modo et congruentiori qui fieri possit, supposita autem scientia condicionali qua novit peccatum originis futurum, si illud permitteret, vidit optimum medium esse ut veniret Christus in remedium peccati, unde si, illa scientia stante, peccatum non foret. Christus non veniret ex vi huiusdem praedestinationis quia deesset optimum medium quod visum erat, scilicet, remedium peccati; hac enim ratione, cognoscimus Deum voluisse nobis gloriam prius quam merita et quia voluit nobis illam dare modo congruentiori, qui nullus alius erat quam per merita, si re vera merita non fuissent supposita prius cognitione condicionata meritorum non daret nobis gloriam [41r] si autem Deus non praesciret scientia condicionata fore peccatum originis sed cognovisset aliud medium quod esset optimum ex vi eiusdem praedestinationis Christus re vera veniret etiam non existente peccato.

Unde ex his constat solutio ad illud quod obiicitur ex D. TH. Ad argumentum factum pro D. TH. respondetur quod cum D. TH. asserit peccatum originale fuisse prius visum quam esset nostra electio

aut Christi praedestinatio interpretandus est hoc modo quod peccatum originale fuit prius visum per scientiam condicionatam non autem per absolutam quae est scientia visionis.

Ad argumentum primum deinde obiectum respondetur quod eligere hominem tam ante peccatum quam post est opus misericordia, quia tamen facta est electio hominum ad gloriam ex sola bonitate Dei non fuit spectata cognitio peccati per scientiam visionis sed ante illam facta est electio.

Ad secundum respondetur concedendo maiorem; ad minorem dicitur quod quamvis scientia visionis non potuerint illa omnia praevideri ante visum originale scientia tamen condicionata optime potuerunt esse praescita ante cognitionem originalis peccati et eodem modo solvitur tertium argumentum.

QUAESTIO 2. AN PRAEDESTINATIONIS DETUR ALIQUA CAUSA EX PARTE NOSTRA.

Quaestio haec gravissima est et omnium quae in hac materia occurrere possunt difficillima in cuius discussione parum ingenii nostri viribus fidendum est, ne sicut multis contigit eius nos profunditatis gurgites absorbeant. Propterea fidei cimba nobis utendum est quae et si humani ingenii fractibus concuciat Deo tamen illam gubernante ad optatum portum perveniendum est.

Sed ut processus huius quaestionis manifestior appareat primo notandum est non esse quaestionem an ex parte nostra detur causa praedestinationis sumpta pro actu in mente divina existente sive sit intellectus sive voluntatis. Certum enim primo est huius actus non dari causam efficientem, cum sit idem cum potentia divina a qua actus nostro modo intelligendi procedit. Certum etiam est non dari illius causam finalem, quia ut optime docuit D. TH. 1 p. q. 109 a. 5: causa finalis movet ad electionem media intentione distincta realiter ab electione, sed in Deo electio et intentio non distinguntur realiter, ergo praedestinationis sumptae pro actu divino nulla potest dari vera causa finalis. Secundo notandum est quod quamvis praedestinationis sumptae [41v] pro actu divino nulla detur causa vera neque ex parte Dei neque ex parte nostra potest tamen assignari ratio ex parte Dei tam praedestinationis quam reprobationis in communi, nam ratio praedestinationis est ostensio divinae boni.

tatis per opera misericordiae et ratio reprobationis est ostensio eiusdem per opera iustitiae.

Sic docuit D. TH. articulo hoc primo ad tertium et DUR(ANDUS) in 1 d. 41 q. 2 n. 8. Dixi praedestinationis et reprobationis in communi, nam cur Deus potius hunc praedestinaverit et illum reproberit potius quam e contra, alia est ut postea videbimus. Tertio notandum est quod quamvis ex parte Dei detur ratio divinae praedestinationis sumptae pro divino actu, ex parte tamen creaturarum nulla potest ratio assignari quia, quamvis Deus velit unam creaturam propter aliam tamquam propter finem, nulla tamen creatura est finis aut ratio motiva divinae voluntatis sed omnia vult propter suam bonitatem tamquam propter rationem finalem. Ita docuit D. TH. loco citato et DUR(ANDUS) 5. n. 5, CORDUBA lib. 1 QUAESTIONARIUM q. 56, ENRICUS quodlibet 4 q. 19 et haec omnia vera sunt sine controversia.

Tota difficultas est an ex parte nostra detur causa praedestinationis sumptae pro effectibus quos divina praedestinatio producit in praedestinitis. Circa quod unum etiam est certum quod, scilicet, unus effectus praedestinationis in nobis existens potest esse causa alterius sive vere efficiens sive dispositiva, sicut vocatio est causa iustificationis et iustificatio perseverantiae et haec glorificationis, e contra tamen glorificatio est causa finalis perseverantiae et perseverantia iustificationis et haec vocationis. Sensus igitur quaestionis, in quo solum est difficultas, hic est an detur ex parte nostra aliqua causa sive efficiens sive finalis sive dispositio necessaria omnium effectuum quos divina praedestinatio producit in nobis ita ut sit causa totius collectionis effectuum a prima vocatione usque ad glorificationem inclusive, an vero tota effectuum collectio solum sit reducenda in divinam voluntatem et bonitatem tamquam in causam et in nihil aliud. Quam difficultatem quaerit D. TH. sub his verbis: an praescientia meritorum sit causa praedestinationis ubi nomine praedestinationis intelligit omnes effectus praedestinationis et nomine praescientiae meritorum intelligit merita ipsa praescita.

Circa hanc difficultatem sic intellectam variae existunt dubitandi rationes. Prima sumitur ex illis verbis 1 PETRI 1: *satagite ut per opera vestra bona certam faciatis vocationem vestram*, ubi vocatio referri videtur in opera nostra tamquam in causam. Et ex illo ad ROM. 3: *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui*, quo loco causa praedestinationis videtur referri in me-

rita praecognita et 2 [42r] ad TIM. 2: *si quis emundaverit se ab his peccatis fiet vas in honorem sanctificatum Domino, et MATH. 25* legimus talenta fuisse distributa secundum propriam servorum virtutem, talenta autem sunt effectus praedestinationis, ergo propria opera praedestinatorum sunt causa praedestinationis. Secundo urget etiam ratio quia omnia quae fiunt in tempore sunt a Deo ab aeterno praedeterminata et volita, sed in tempore tribuit Deus gloriam propter opera ipsis praedestinatibus, ergo elegit illos ad gloriam ab aeterno propter opera quae vidit in illis futura. Tertio quia in omnibus operibus Dei invenitur iustitia et misericordia simul, docet D. TH. supra, sed praedestinatio est opus misericordiae, ergo eadem est etiam opus iustitiae, at iustitia esse non potest nisi in ordine ad opera praevisa futura, ergo praedestinavit homines Deus propter opera futura tamquam propter causam. Quarto quia non minus vult Deus ostendere suam iustitiam quam suam misericordiam, sed in reprobatione ostendit simul cum misericordia suam iustitiam reprobando propter opera praevisa, scilicet, propter peccata, ergo similiter praedestinavit homines ostendendo suam iustitiam propter opera bona praevisa futura. Ultimo quia indignum videtur Dei bonitate et aequitate quod ex duobus qui inveniuntur aequales in omnibus alter assumatur ad gloriam altero reiecto et reprobato et his qui aequalia habent merita et demerita detur inaequale premium vel inaequaliter puniantur, ergo ne in Deo concedamus hanc iniquitatem dicendum est Deum praedestinare homines propter bona opera praevisa futura et reprobare alios propter opera mala quae videt futura in illis.

Circa hanc quaestionem et circa rationem et causam assignandam propter quam quosdam homines praedestinavit Deus varii extiterunt errores. Primus fuit MANICHEORUM asserentium causam propter quam quidam homines praedestinantur, et salvantur, alii vero reprobantur et damnantur esse fatum uniuscuiusque, quod nihil aliud est quam series et ordo causarum naturalium omnino inevitabilis, ex quo pendet uniuscuiusque hominis felicitas aut infelicitas. Hunc errorem refert AUG(USTINUS) 1 lib. AD SIMPLICIA(NUM) q. 2, AMBRO(SIUS) 1 lib. DE VOCATIONE GENTIUM c. 1. Reicitur tamen error ab AUG(USTINO) loco citato ex illo: Iacob et Esau qui cum ex eodem parente simul essent concepti et nati diversos tamen exitus habere, quod tamen tribui non potest aut fa'o aut astrorum diversitati. Reicit etiam HYERO(NIMUS) tomo 1 IN EPISTOLA AD DEMETRIADEM.

Et reiicitur a D. TH. super epistolam ad ROM. c. 9 ex illis verbis: *cum nondum nati fuissent* etc. Et amplius reiicitur aperte ex illo IEREMIAE 10: *a signis caeli nolite timere quae gentes timent*; ac si dicat nullam inferre [42v] nobis necessitatem corpora caelestia. Et ratione convincitur haec sententia quia causae naturales et corpora caelestia non habent nec possunt habere actionem immediate circa arbitrium nostrum, sed tantum circa nostra corpora directe, sed facta quacumque immutatione circa corpus nostrum manet adhuc liberum nostrum arbitrium, ergo non ex causa naturali pendet nostrum arbitrium et nostra salus.

Secundus error fuit ORIGENES ut docet D. TH. in hoc articulo qui asseruit animas omnes humanas simul fuisse omnes creatas ab initio et propter opera quae ante corpora habuerunt sortitas fuisse diversa corpora, mala, scilicet, aut bona, deinde vero propter opera eadem praedestinatatas fuisse quasdam, alias vero reprobatas. Hic error insinuatur ab ORIGENE 2 lib. PERIARCHOM c. 1 adiuncto capite ultimo libri praecedentis. Eundem errorem tribuit ORIGENI LEO I, EPISTOLA 11 AD IULIANUM CHOENSEM, et in eundem lapsus fuit PRISCILIANUS damnatus in CONCILIO BRACHARENSI PRIMO, canone sexto. Sequutus fuit eundem errorem PLATO in THIMEO ut refert HIERO(NIMUS), thomo 3 in epistola AD EDIVIAM q. 3. Meminit eiusdem erroris idem HIERO(NIMUS) in illa verba ad GALAT. 1: *cum placuit ei qui me segregavit*, et in illud ad EPHE. 1: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, et in epistola AD DEMETRIADEM citatam. Meminit EPIPHANIUS in epistola AD IOAN(NEM) HYEROSOLIMITANUM. Et THEOPHILUS ALEXANDRINUS lib. 1 sui PASCHALIS.

Sed hic error damnatus est in CONCILIO BRACHARENSI PRIMO, canone sexto ubi dicitur: si quis dixerit humanas animas in caelesti habitatione peccasse et pro hoc postea in corpora fuisse interiectas etc. anathema sit. Et in CONCILIO LATERANENSI sub LEONE X, sessione 8. Et in VIENNENSI sub CLEMENTE I et in sexta SYNODO GENERALI actione 12. Et apertius ex illo IOB 38 c. *ubi eras cum laudabant astra matutina*, quibus verbis aperte significat humanas animas non fuisse ab initio creatas, quia idem est quaerere ubi eras atque asserere nullibi fuisse. Idem reiicitur ex illo ad ROM. 9: *cum nondum nati fuissent neque aliquid boni aut mali egissent non ex operibus sed ex vocante dictum est* etc. Et ex illo 2 AD TIM. 1: *vocabit nos vocatione sua sancta non secundum opera nostra quae fecimus nos sed secundum propositum suum et gratiam*.

Tertio error fuit PELAGIANORUM asserentium hominem propriis viribus posse mereri gratiam et gloriam de condigno, inire cum Deo amicitiam et in eadem amicitia perseverare et ideo propter haec opera naturalia bona quosdam fuisse praedes [43r] tinatos. In eundem fere errorem lapsus fuit olim AUG (USTINUS) asserens hominem propriis viribus posse habere fidem et fidei opera atque adeo propter haec opera fidei quosdam fuisse praedestinos sicut statuit ipse lib. DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 12 et lib. 1 RETRACTATIONUM c. 13. Contra hunc errorem scripsit idem AUG(USTINUS) fere totum septimum thomum et D. D. (SIC) 3 CONTRA GENTES. c. 147.

Sed hic error aperte reiicitur ex illo ad ROM. 11: *quod si ex operibus iam gratia non est gratia*; et ad EPHE. 1: *gratia salvi facti estis per fidem non ex operibus donum enim Dei est ne quis gloriatur*; et ad TITUM 3: *non ex operibus iustis quae fecimus nos sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit*. Et ratione etiam convincitur haec sententia quia nulla opera inimici possunt esse meritoria praemii praesertim supernaturalis quales sunt effectus praedestinationis, sed opera quae praecedunt gratiam sunt opera inimici, ergo non sunt meritoria praemii praesertim supernaturalis, scilicet, effectum praedestinationis. Unde merito damnatus est hic error in CONCILIO ARAUSICANO canone 6 et 5, et MILEVITANO canone 3, et TRIDENTINO sessione 6 c. 8 canone 3. Et contra illum scripsit AMBRO(SIUS) 1 DE VOCATIONE GENTIUM c. 8 et FULGENTIUS lib. DE INCARNATIONE VERBI c. 18.

Quartus error fuit eorum qui affirmabant parvulos fuisse praedestinos propter bona opera quae facturi erant si supervixissent et alios fuisse reprobos propter opera mala quae erant facturi. Quem errorem dicit AUG(USTINUS) fuisse PELAGIANORUM; ita refert epistola 105 AD SIXTUM et 107 AD VITALEM et lib. DE BONO PERSEVERANTIAE c. 9.

Sed hic error reiicitur ab eodem AUG(USTINO) locis citatis. Primo quia sequeretur ex illo parvulum illum fuisse reprobum de quo dicitur Sapientia 4 *quod raptus fuit ne malitia mutaret intellectum eius aut fictio deciperet animam illius*. Sequeretur etiam parvulum decedentem cum baptismo et in gratia esse reprobum et damnari si re vera facturus esset mala opera. Et similiter sequitur parvulum decedentem in originali esse praedestinatum et salvari, si re vera facturus esset bona opera quod tamen impium est. Tum etiam quia, ut arguit idem AUG(USTINUS), merita et demerita quae nun-

quam sunt futura non possunt esse causam aut damnationis aut salutis, quia quaecumque sunt futura nullius sunt merita aut demerita, ergo propter merita aut demerita, quae futura essent si vixisset parvulus, non potest damnari aut salvari. Tum etiam quia ut dicitur 2 ad COR. 5: *omnes nos oportet manifestari ante tribunal Domini Nostri Iesu Christi ut referat unusquisque prout gessit in corpore sive bonum sive malum*, ergo propter opera facta aut concedendum est praemium [43v] aut infligenda est paena, non autem propter opera quae nunquam sunt futura. Ultimo quia ex hac sententia aperte sequeretur parvulum decedentem cum baptismo et gratia tantam comparare gloriam quanta respondet meritis quae habiturus esset si vixisset et parvulum decedentem in originali tanta puniri paena quanta respondet demeritis quae futura essent si vixisset ac proinde sequitur parvulum non tantum puniri paena damni sed etiam paena sensus, quae omnia et falsa et absurda sunt.

Ultimus error est quem refert PROSPER in epistola AD AG(USTINUM) et tribui solet ALEXANDRO ALENSI 1 p. q. 28 memb. 3 a. 3 qui asseruit bonum usum gratiae praevisum et futurum esse causam praedestinationis. Asserit enim haec sententia quod praevidens Deus aliquos bene usuarios esse gratia, quae illis erat concedenda, propter bonum illum usum eos praedestinavit, videns autem alios male usuarios gratia illos reprobavit; sicut rex, inquit, donat aliquando militi equum et arma quia scit bene usurum esse illis. Sed haec sententia reiicitur tamquam error ex illo ad EPHE. 1: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti*, ubi notat HYERONIMUS) quod non dixit quia eramus sancti sed ut essemus sancti. Et ratione etiam convincitur quia opera procedentia ex gratia sunt effectus praedestinationis secundum illud ad EPHE. 2: *creati in operibus bonis quae preparavit Deus*, at preparatio est praedestinatio, ergo opera procedentia ex gratia sunt effectus praedestinationis, ergo bonus usus gratiae non potest esse causa omnium effectuum praedestinationis, alias esset causa sui ipsius. Secundo quia si propter merita procedentia ex gratia essemus vocati atque iustificati sequitur quod unusquisque praedestinatus meretur de condigno vocationem et iustificationem quod videtur Pelagia(num); patet sequentia quia haec omnia meretur per opera procedentia ex gratia habituali quae sunt merita de condigno. Ultimo quia nullus potest mereri per opera id quod est ratio merendi in illis operibus, alias deesset principium meriti et praemium, sed gratia continetur

intra effectus praedestinationis, ergo nullus potest mereri per opera procedentia ex gratia collectionem effectuum praedestinationis, ergo nullus praedestinetur propter bonum usum gratiae qui praevideatur futurus.

His igitur omnibus reiectis inter catholicos non est una sententia in assignanda ratione praedestinationis. Inter quos GAB(RIEL) in 1 d. 41 q. unica asserit ex parte nostra dari causam praedestinationis, merita scilicet quae procedunt ex gratia et non continentur intra effectus praedestinationis; putat enim GAB(RIEL) solam glorificationem esse effectum praedestinationis ut supra vidimus, si tamen, inquit, dicamus cum MAGISTRO opera pro[44r] cedentia ex gratia esse effectum praedestinationis asserendum est in quibusdam dari causam praedestinationis, opera scilicet moralia bona praecedentia gratiam, quae causa sunt in illis qui ita sunt vocati ut potuerint non respondere, in illis vero qui ita sunt vocati ut non potuerint non respondere sicut vocatus est PAUL(US) vel in his qui vocati sunt ante usum arbitrii ut BEATA VIRGO, IOANNES, IEREMIAS, etc non datur causa effectuum praedestinationis.

Sed haec sententia quantum ad fundamentum eius, scilicet, quod glorificatio et nihil aliud sit effectus praedestinationis supra refutata est, si tamen verum esset hoc fundamentum vera esset eius sententia, quia omnes theologi fatentur glorificationem esse praemium et effectum meritorum procedentium ex gratia; quantum ad secundum quod asserit quod opera ex libero arbitrio facta sint causa praedestinationis in quibusdam modo reiicienda est haec sententia cum opinione IAVELLI qui in eadem saecla haerere videtur.

Alia est sententia quam sequitur CHRISOSTO(MUS) IAVELLUS tractatu DE PRAEDESTINATIONE c. 5 ubi ait triplex esse auxilium quo Deus nobiscum operatur: aliud est auxilium generale naturale quod etsi sufficiens non sit ad opera bona moralia est tamen, inquit, sufficiens ad vitanda peccata; aliud est auxilium naturale speciale quod necessarium est in natura lapsa ad efficiendum opera bona moralia quae sunt dispositiones de congruo ad gratiam; tertium auxilium est speciale supernaturale necessarium ad opera meritoria gloriam de condigno, quod auxilium nihil aliud putat esse praeter charitatem et gratiam et alias virtutes. His suppositis asserit dari ex parte nostra causam praedestinationis, scilicet, opera bona moralia quae meritoria sunt de congruo effectuum praedestinationis

quatenus procedunt ex auxilio naturali speciali. Eandem sententiam sequutus videtur THOMAS DE ARGENTI(NA) in 1. d. 41 a. 2; ALPERTUS PIGI(US) lib. 8 DE LIBERO ARBITRIO; a quorum sententia non longe abest CAMERARIUS in DIALOGIS DE PRAEDESTINATIONE; et OSORIUS lib. 9 DE IUSTITIA CAELESTI, quorum sententiam tamquam PELAGIANORUM reiicit SOTUS super epistolam ad ROM. c. 9; inmerito tamen cum ab ea longe distet quoniam PELAGIUS opera bona moralia dicebat esse merita de condigno gratiae et gloriae quod tamen hi autores negant dicentes solum esse merita de congruo. Pro hac sententia referri potest BONAVENT(URA) in 1 d. 41 q. 1 a. 1 qui asserit quod quamvis ex parte nostra non detur causa meritoria de condigno omnium effectuum praedestinationis datur tamen causa meritoria de congruo, scilicet, opera bona moralia antecedentia gratiam, unde omnes [44v] hi autores in eo conveniunt quod opera moralia bona viribus naturae facta sunt causa omnium effectuum praedestinationis, quorum auctorum motiva sunt haec. Primo quia Sacri Doctores quotiescumque loquuntur de praedestinatione assignant pro causa omnium effectuum eius bonum usum arbitrii, quod Deus praevidet futurum in praedestinitis. Sic HIERONI(MUS) in quaestionibus ad EDIVIAM q. 10 ubi ait Deum non sine ratione praedestinare, sed potius indurasse populum israeliticum et salvasse et gratia praevenisse nos qui non tantum ex Iudeis sed ex gentilibus sumus, quibusdam praexistentibus causis, quas causas assignans ait quia alii recipere voluerunt Filium Dei, alii vero recipere recusarunt. Sic AUG(USTINUS) LIBER OCTOGINTA TRIUM QUAESTIONUM q. 68, ubi ait quod praedestinationem in praedestinitis praecedunt occultissima merita unde vocantur, sicut in damnalis praecedunt occultissima mala unde damnantur et super epistolam ad ROM. c. 61 et 62 et lib. 6 HYPOGNOSTICOM in initio ait quod quidam sunt praedestinati quia Deus praescivit quales erant futuri. Eandem causam videtur reddere AMB(ROSIUS) 8 c. super epistolam ad ROM. in illa verba: *diligentibus Deum* etc et c. 9 in illa verba: *cum nondum nati fuissent.*

Deinde secundo probant ex ECCLESIAST. c. 15 ubi dicitur: *Deus ab initio fecit hominem rectum et reliquit Deum in manu consilii sui, apposuit illi praecepta et mandata dicens si custodieris illa servabunt te* etc, et MALACHIAE 3 c. ubi dicitur: *convertimini ad me et ego convertar ad vos*, quibus in locis praeexigitur a nobis opus bonum nostrum ad praedestinationem. Deinde ratione probant quia si Deus non destinaret homines habita ratione prius operum maxi-

me extenuareur spes salutis fidelium qui nihil sibi prodesse putant opera bona si electi non fuerint neque obesse opera mala si fuerint electi, quod maxime est inconueniens. Pro hac sententia omnia argumenta facta pro ratione dubitandi afferri solent et alia quae postea adducentur et soluentur.

Sed si haec sententia ita intelligatur quod opera bona moralia ex viribus naturae facta ante omnem gratiam sint causa aut dispositio necessaria ad praedestinationem ita ut illis positus infallibiliter praedestinentur qui habent illa et non praedestinentur qui illis carent sive visi sunt carere et quod illa opera sint merita iuxta quae Deus largitur praedestinitis auxilia supernaturalia gratiam et gloriam, sine dubio erronea est et contra illam est haec ratio, quia quamvis Deus omnibus praestet auxilia sufficientia, praesertim facientibus quod in se est, aliquando praestat maiora auxilia his qui minus sunt cooperaturi vel qui non sunt praevisi recte operaturi moraliter ante au [45r] xilia recepta, quod constat ex illo MATH. 11: *vae tibi Betsaida* etc ubi dicitur Tyrus et Sydonis fuisse denegata auxilia quibus converterentur quae fuerunt Bethsaidis qui ex eisdem auxiliis magis sunt indurati. Tum etiam quia non dubium est quin si multis damnatis data fuissent auxilia Paulo exhibita re vera converterentur et salvarentur, ergo non fuit habita ratio usus liberi arbitrii praecedentis sed potius ubi vult et quomodo vult spirat Deus. Secundo quia non dubium est quin Patribus Veteris Testamenti maior fuerit collata gratia quam Patribus Ecclesiae Legis Novae ut significat Propheta in illis verbis PSALMI 147: *non fecit taliter omni nationi et iudicia sua non manifestavit eis*. Tum etiam quia non dubium est quin ex Ecclesia Christiana plures praedestinati fuerint quam ex Synagoga et ex hac quam ex illa legis novae et ad multo maiorem gratiam et gloriam ut significatur MATH. 20, in parabola de conductis ad vineam, ubi pares facit pater familias eos qui novissime ceperunt laborare cum aliis, in quo significat copiosiores esse fructus operum praecedentium ex maiori gratia qualia sunt opera existentium in lege gratiae et huius distributionis non redditur ibi pro causa labor operariorum sed voluntas ipsius patris familias, unde servo qui conquestus fuerat respondet ibi paterfamilias: *amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario convenisti mecum, tolle quod tuum est et vade, volo enim dare huic novissimo sicut et tibi, an non licet mihi de meo quod volo facere*. Id etiam significatur GENESIS 48 in illa mistica benedictione Iacob qua commutatis ma-

nibus in modum crucis dexteram posuit super Ephraim natu minorem, sinistram autem super Manasem natu maiorem significans Ecclesiam christianam minorem natu quam Synagoga esse Synagogae per Crucem Christi praefendam. Idem significavit Christus suis discipulis LUC. 10 dicens: *beati oculi qui vident quae vos videtis, amen dico vobis quia multi reges voluerunt videre quae vos videtis et non viderunt*. Deinde quia ut docet HIERO(NIMUS) in epistola ad DEMETRIADEM citata certum est plures gentiles populos longe praestantiorum habuisse usum arbitrii quam multi christiani et tamen plures christiani cum minori illo usu salvi facti sunt, in cuius confirmationem adduci possunt gentes a Lusitanis inventae, quae etsi ingenio polleant et arbitrio recte naturaliter utantur non tamen sunt hactenus in fide illuminati. Ulterius quia constat plures ex damnatis paucioribus fuisse obnoxios peccatis quam Magdalena, Paul aut latro, non ergo fuerunt praedestinati hi et illi repro[45v] bati propter usum arbitrii praecedentem gratiae.

Deinde in huius sententiae confirmationem plura faciunt Sacrae Scripturae loca. Ad EPH. enim 2 *creati dicimur in operibus bonis quae praeparavit Deus*, quod si creati sumus in operibus ex nihilo operum sumus praedestinati. Et ISAIAS 65 c. ut refert PAUL (US) ad ROM. 10: *inventus sum a non quaerentibus me et palam apparui his qui non interrogabant me* Et ad EPHE. 1: *praedestinavit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum non secundum opera nostra sed secundum propositum voluntatis suae in quo nos sorte vocati sumus*. Et ad COL. 1: *qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum*, quod si praedestinati ex sorte sumus, non ex praesentia operum. Et 2 ad TITUM 1: *vocavit nos vocatione sua sancta non secundum opera nostra sed secundum propositum suum et gratiam*. Et ad ROM. 9: *non ex operibus sed ex vocante dictum est etc*. Et PSALM. 17: *salvum me fecit quia voluit me*. Unde dicitur LUCAS 10: *confiteor tibi Pater caeli et terrae quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis*. Et ibidem redditur pro ratione divina voluntas, scilicet, quia sic est placitum ante te, quibus locis non in opera nostra reducitur nostra praedestinatio sed potius in divinam voluntatem.

Deinde ratione probatur quia id quod alicui datur per modum doni et liberaliter non habet causam ex parte eius cui datur, alias non esset liberalis donatio, sed omnis gratia liberaliter et per modum doni confertur nobis ut docet MILEVITANUM canone 4, ergo cum

effectus praedestinationis sint gratia, omnes illi conferuntur nobis absque causa et gratuito.

Secundo quia opera bona moralia nec sunt dispositio proportionata ad gratiam neque causa neque illis est aliquo modo debita gratia, ergo illis positus in nobis non sequitur quod simus praedestinati et illis deficientibus simus reprobi, cum nihil referant ad effectus gratuitos.

Tertio quia si bona opera moralia essent causa praedestinationis iam conducirerent efficaciter ad gloriam atque adeo sequeretur quod essent effectus praedestinationis et continerentur intra latitudinem collectionis effectuum praedestinationis ac proinde non possunt esse causa totius collectionis effectuum.

Sed si contra haec obiicias quod facienti quod in se Deus praestat gratiam, sed ante omnem gratiam nullus potest facere quod est in se nisi operando recte moraliter, ergo recte operanti moraliter praestat Deus gratiam primam, scilicet, vocationem et alios effectus praedestinationis, igitur opera moralia sunt causa totius collectionis effectuum praedestinationis. Sed respondetur quod operanti recte moraliter non praestat Deus gratiam infallibiliter et ex lege neque praestat [46r] illam iuxta mensuram operis boni moralis, unde opus bonum morale neque est causa aut dispositio sufficiens neque necessario requisita ad gratiam atque adeo assignari non potest tamquam causa et ratio praedestinationis.

Propterea alia est sententia, quam sequitur HENRRI(CUS) quodlibeto 4 q. 19 et quodlibeto 8 q. 1, asserens ex parte nostra dari causam sive rationem aliquam totius collectionis effectuum praedestinationis non quidem opera bona moralia sed opera supernaturalia praecedentia gratiam habitualement, non quidem prout sunt a Deo quia sic sunt effectus praedestinationis sed prout sunt a libero nostro arbitrio. Unde existimat HENRRI(CUS) quod cooperatio nostra simul cum Deo in dispositione supernaturali ad gratiam prout est a Deo praevisa, est causa totius effectus praedestinationis. Pro hac sententia citari solet SADOLETUS lib. 8 super 9 caput epistolae ad Rom.; et DIONISI(US) RICKEL in 1 d. 41 q. 1 in initio; alii vero hanc explicans sententiam dicentes non repugnantiam vocationis, qua vocat nos Deus, esse causam praedestinationis, quia quamvis non sit meritum de condigno est tamen quaedam congruitas propter quam non repugnant praedestinentur a Deo. Explicant hoc in infirmo cui medicus promittit salutem si non repugnet curationi;

illa non repugnantia, inquit, est conditio et congruitas ad consequendam salutem. Explicant etiam in duobus qui vocantur a Deo quorum alter non repugnat vocationi et alter repugnat; illa non repugnantia vocationis, inquit, est conditio et congruitas quaedam propter quam ille praedestinetur et qui repugnat reprobetur.

Sed haec sententia duo dicit falsa: alterum est electionem praedestinatorum non fuisse facta ante opera praevisa, alterum est cooperationem sive non repugnantiam vocationi esse causam praedestinationis, quorum primum supra refutatum est, secundum autem modo est reiiciendum. Et primo quidem satis convincitur ex illo LUCAE 10 et MATH. 11: *vae tibi Bethsaida* etc. ubi Deus vidit Tyros et Sydones cooperaturos et non repugnatos vocationi et nihilominus non fuerunt vocati neque divinitus attracti, ut docet AUG(USTINUS) lib. 1 ad SIMPLICIANUM q. 2, ergo cooperatio sive non repugnantia vocationi non est causa praedestinationis. Neque obstat si dicas quod Deus nunquam vidit Tyros et Sydones non repugnatos, quia nunquam ordinavit illos vocare vocatione cui essent responsuri. Contra hoc enim est quia iam sequitur non repugnantiam vocationi et cooperationem reduci in voluntatem Dei praedestinantis atque adeo non erit causa praedestinationis. Tum etiam quia multi sunt reprobi qui visi sunt a Deo non repugnare vocationi si vocarentur sicut vocantur praedestinati et tamen re vera [46v] sunt reprobi, ergo non repugnantia sive cooperatio visa non est causa praedestinationis. Secundo quia neque cooperatio neque non repugnantia vocationi sunt causa motiva voluntatis Dei ad eligendum praedestinos, ergo neque sunt causa effectuum praedestinationis. Patet consequentia quia quod non movet ad distinguendum praedestinatam a reprobo non est causa effectuum praedestinationis. Antecedens probatur quia prius Deus elegit homines ad gloriam quam vellet dare gratiam et prius voluit dare gratiam quam vellet dispositionem ad gratiam et vocationem quae sunt operationes quibus cooperatur arbitrium nostrum, scilicet, quibus non repugnat, ergo de primo ad ultimum prius voluit eligere homines ad gloriam quam videret cooperationem sive non repugnantiam, ergo nihil istorum est causa sive ratio motiva ad eligendum praedestinos. Tertio quod non repugnantia vocationi non sit causa praedestinationis specialiter probatur quia ex eo homo non repugnat vocationi quia vocationi consentit, nam ex consensu sequitur necessario non repugnantia vocationi sicut ex eo quod est homo se

quitur quod non sit brutum, sed consensus est effectus praedestinationis, ergo non repugnantia similiter erit effectus, non igitur potest esse causa praedestinationis praesertim quia ante non repugnantiam liberam praecessit vocatio inefficax in nobis, quae est effectus praedestinationis. Quarto quia ex voluntate dandi gloriam non tantum voluit Deus hominem vocare vocatione cui esset responsurus sed etiam voluit quod homo non repugnaret vocationi quia ita necessarium est non repugnare vocationi ad consequendam gloriam sicut est necessarium consentire, sed ob hanc solum rationem consentire vocationi est effectus praedestinationis et non causa omnium effectum, ergo similiter non repugnare erit effectus praedestinationis et non causa omnium effectum. Tandem convincitur haec sententia ex illo ad ROM. 9: *cum nondum nati fuissent aut aliquid boni aut mali egissent Iacob dilexit*(sic) etc., quo loco dicitur ante omne opus praevisum fuisse Iacob electum loquitur autem de scientia visionis. Favet etiam huic sententiae id quod definitur in ARAUSICANO et MILEVITANO CONCILIO quod, scilicet, praeparatur voluntas nostra a Domino ut velimus quia *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis*, ut dicitur 2 ad Cor. 3, quibus in locis significatur cooperationem vocationi et non repugnantiam speciali providentia quae est praedestinatio fuisse praeparata a Domino atque adeo esse effectus praedestinationis.

Alia est sententia quam sequutus est DUR(ANDUS) in 1 d. 41 q. 2 n. 11 dicens quod quamvis ex parte nostra nulla detur causa praedestinationis quae sit opus bonum morale datur tamen aliqua, scilicet, glorificatio quae est causa finalis perseverantiae iustificationis et vocationis et tamen non continetur intra effectus praedestinationis.

Sed haec sententia DUR(ANDI) quamvis nihil contineat fidei divinae praeiudicans [47r] quia non concedit causam aliquam praedestinationis quae sit ex viribus nostris, falso tamen docet glorificationem non esse effectum praedestinationis, quia supra probatum est glorificationem esse effectum illius actus praedestinationis quo Deus vult homini dare gloriam propter merita iam praevisa.

His igitur omnibus sententiis reiectis tenenda est a nobis catholica conclusio quae ab omnibus sacris Doctoribus et Scholasticis defenditur, scilicet, quod ex parte nostra non datur causa finalis neque efficiens nec dispositio necessaria quae sit aut meritum de congruo vel de condigno respectu omnium effectuum praedestina

tionis, quod est asserere ex parte nostra nullam esse causam sive rationem motivam et obiectivam voluntatis Dei ad praedestinandos hos homines potius quam illos, sed collectionem effectuum praedestinationis reducendam esse in solam Dei liberam voluntatem tamquam in causam. Ita sentit AUG(USTINUS) lib. DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 15 et DE BONO PERSEVERANTIAE et in RESPONSIONE AD ARTICULOS SIBI FALSO IMPOSITOS et 1 lib. RETRACTATIONUM c. 23. Et cum eo sentiunt BERN(ARDUS), HILARI(US) quibus locis **docet** AUG(USTINUS) quod sicut unio humanitatis ad Verbum facta est nullis praecedentibus meritis et nulla praecedente causa ex parte humanitatis sic homines sunt a Deo praedestinati nulla praecedente causa ex parte ipsorum. Docet hoc ipsum MAGIS(TER) in 1 d. 41, SCOT(US) et GAB(RIEL) ibidem q. 1, MARSIL(IUS) q. 41 a. 2, MAJOR d. 40 q. 2, FERRARI(ENSIS) lib. 1 CONTRA GENTES c. 161 et 162, SOT(US) super epistolam ad ROM. c. 9, DRIEDO DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII ET PRAEDESTINATIONE parte 1 c. 3, CORDUBA 1 lib. QUAECTIONALI (sic) q. 56. Et praesertim sequitur D. Th. in hoc articulo et 1 CONTRA GENTES capite ultimo et DE VERITATE q. 6 et ad ROM. 9. Sed priusquam probemus hanc conclusionem supponendum est effectus praedestinationis esse glorificationem perseverantiam, merita, iustificationem et vocationem et aliquando eventus naturales ut supra visum est articulo secundo, unde nomine praedestinationis totam collectionem horum effectuum intelligimus, nam AMBRO(SIUS) et HYERONIMUS), CHRISOST(OMUS) et ORIGE(NES) et alij Sancti cum illis saepe asserunt merita procedentia ex gratia esse causam praedestinationis eo quod accipiunt praedestinationem pro solo illo effectu, scilicet, pro glorificatione.

Probari potest haec sententia ratione a sufficienti enumeratione facta, quia quidquid potest excogitari in nobis quod sit causa praedestinationis aut sunt opera procedentia ex gratia aut opera moralia antecedentia gratiam aut opera quae forent si homo amplius vixisset aut cooperatio vel non repugnantia vocationi, sed nihil horum est causa praedestinationis ut probatum est contra sententias supra recensitas, ergo nihil superest quod sit in nobis causa omnium effectuum praedestinationis. Proba [47v] ri potest deinde auctoritatibus Sacrae Scripturae. Primo ex illo ad ROM.: *cum nondum nati fuissent aut aliquid boni aut mali egissent: ut secundum electionem propositum Dei maneret non ex operibus sed ex vocante dictum est quia maior serviet minori sicut scriptum est,*

Iacob dilexit Esau autem odio habuit, ubi PAUL(US) proponit nobis electionem Iacob tamquam typum omnium praedestinatorum, quem dicit electum esse ex vocante, id est, ex gratuita Dei voluntate nullis praecedentibus operibus, in quo excludit omnem causam ex parte nostra. Quem locum late prosequitur AUG(USTINUS) lib. 1 AD SIMPLI(CIANUM) q. 2 et lib. 2 CONTRA DUAS EPISTOLAS PELAGIANORUM c. 7 et DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. etiam 7, ubi ait quod qui assignat pro causa nostrae praedestinationis opera nostra evacuat verbum Apostoli dicentis non ex operibus etc. Probatur etiam ex illo IOAN. non vos me elegisti sed ego vos elegi, quem locum AUG(USTINUS) lib. DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 18 de apostolis sic dicit esse intelligendum non vos elegi quia me elegistis aut in me credidisti sed elegi vos ut me eligeritis et in me crederetis. Et 1 IOAN. 4: in hoc est charitas Dei non quia prius nos dilexerimus eum sed quia ipse prior dilexit nos, unde ad EPH. 2 creati dicimur in operibus bonis quae praeparavit Deus quasi ex nullo opere nostro praedestinati et ideo ad EPH. 1 dixerat PAUL(US) nos elegisse in Christo ante mundi constitutionem. Favent etiam huic sententiae innumeri sancti sed unum afferam AUG(USTINUM) lib. DE FIDE AD PETRUM c. 3 ubi ait illi autem cum Christo regnabunt quos Deus gratuita sua bonitate praeparavit ad regnum, quia enim tales secundum propositum praedestinando praeparabat ut regno digni essent, praeparaverat quidem vocandos ut obediant, praeparaverat iustificandos ut accepta gratia recte credant et bene vivant, praeparaverat glorificandos ut Christi cohaereditate effecti regnum caelorum sine fine possideant ad quod regnum illi pervenerunt quos Deus gratis nullo bonae voluntatis aut boni operis merito praecedente salvavit. Deinde ratione probatur quia quicumque vult ordinate finem alicui, prius vult finem deinde ex illa voluntate vult omnia quae conducunt ad consecutionem finis, sed Deus ordinate vult nobis gloriam tamquam finem, ergo ex ea voluntate vult omnia quae conducunt ad assecutionem illius finis, scilicet, gloriam, at quaecumque causa assignetur si causa est conducet necessario ad assecutionem gloriae, ergo erit volita ex voluntate dandi gloria, sed quae sic sunt volita sunt effectus praedestinationis, ergo nihil potest assignari tamquam causa omnium effectuum praedestinationis, ergo nihil potest assignari tamquam causa omnium effectuum praedestinationis quod sit extra latitudinem [48r] ipsorum effectuum. Secundo probatur argumento desumpto per omnia genera causa

rum. Primo quia non potest dari causa finalis omnium effectuum quoniam nulla alia finalis causa esse potest praeter divinam bonitatem quam Deus ostendit praedestinando per actus misericordiae. Quod inde constat quia glorificatio est finis omnium aliorum effectuum et tamen glorificationis nullus est finis ex parte nostra. Nec potest dari efficiens in nobis quia primus effectus praedestinationis est vocatio, huius autem nulla datur efficiens causa in nobis quae sit motiva ad praedestinandum. Nec datur causa formalis, quia cum effectus praedestinationis sint formae et actus quidam vel habitus ipsorum non datur alia forma. Nec datur causa materialis quia ad effectus praedestinationis nihil supponitur in nobis nisi natura potentiae et bona opera moralia, sed natura et potentiae non sunt causa motiva ad praedestinandum cum sint communes reprobis et praedestinis nec bona opera moralia possunt esse causa materialis etiam dispositiva cum illis positus non detur necessario neque ex lege effectus aliquis supernaturalis, nihil igitur excogitari potest quod sit omnium effectuum praedestinationis causa.

Ex his omnibus sequitur praedestinationis in communi nullam dari ex parte nostra causam sed totam collectionem effectuum praedestinationis referendam esse in ostensionem divinae bonitatis per actus misericordiae tamquam in causam finalem et in nihil aliud, in divinam vero voluntatem liberam et gratuitam tamquam in causam efficientem.

Secunda conclusio sit: nulla datur causa nec ratio ex parte nostra neque ex parte Dei quare, scilicet, hunc hominem in particulari potius praedestinavit quam illum reprobavit, sed tantum potest referri in liberam voluntatem Dei ut in causam. Ita docet D. TH. in hoc articulo 1 ad 3 et explicat his exemplis quia quamvis possit assignari ratio et causa cur ex materia rerum generabilium, quae una est specie in omnibus, quaedam pars sit sub forma terrae et quaedam alia sub forma ignis quia scilicet necessarium erat ad perfectionem universi ut materia subesset formis specie differentibus, tamen cur haec pars materiae potius sit sub forma terrae quam sub forma ignis nulla potest assignari ratio praeter Dei voluntatem liberam; similiter quamvis possit assignari causam cur lapides in aedificio infimum locum obtineant et non supremum, id est, propter aedificii firmitatem, tamen cur hic lapis sit potius in hac parte quam in illa nulla potest assignari causa

praeter voluntatem artificis; sic etiam quamvis praedestinationis in communi et reprobationis possit assignari pro causa ostensio divinae bonitatis per actus misericordiae et per actus iustitiae tamen cur hic homo fuerit potius praedestinatus quam ille nulla potest assignari causa praeter [48v] liberam Dei voluntatem. Hanc libertatem Dei circa praedestinationem huius et non illius significat MATH. 20 in illis verbis: *an non licet mihi de meo quod volo facere*, et hoc est quod explicat AUG(USTINUS) tractatu 26 super IOHAN, dicens quare hunc trahat et illum non noli iudicare si non vis errare et ideo lib. DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 8 et DE CORREPTIONE ET GRATIA c. 8 hanc distinctionem huius praedestinati ab illo reprobo refert AUG(USTINUS) tamquam in causam in iudicia Dei inscrutabilia putans nullam huius posse esse aliam causam.

Et ratione probatur haec conclusio quia ex parte nullius praedestinati datur causa cur sit praedestinatus, ergo omnes homines aequaliter oblati sunt in conspectu Dei, sed inter aequalia nulla est ratio cur potius unum assumatur et aliud relinquatur praeter liberam voluntatem assumentis, ergo cur hic homo fuerit potius quam ille praedestinatus nulla potest assignari causa praeter liberam Dei voluntatem.

Tertia conclusio sit: praedestinationis adulatorum est conditio sino qua non praedestinetur usus bonus liberi arbitrii ex gratia procedens praevisus et cognitus non quidem scientia visionis, quae supponit decretum divinae voluntatis, sed praescientia condicionata quae est ante decretum, qua scientia cognoscit Deus quod si praestet hoc auxilium et in hoc tempore quod in posteriori signo praedestinati praestat perseverabunt in gratia et in illa decedent. Non ita intelligo hanc conclusionem ut bonus usus arbitrii sic praecognitus fuerit causa vel conditio adaequata qua posita omnes qui sic sunt visi bene usuri arbitrio praedestinentur et qui non sunt visi reprobentur, neque ita ut bonus ille usus sit mensura donorum supernaturalium quoniam re vera non ita est, sed sic intelligo ut necessario quicumque praedestinantur visi sint scientia illa condicionata bene usuri arbitrio et in gratia decedere. Probari potest hoc ex illo ad ROM. 8: *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri etc. hos et vocavit*, quasi dicat eos quos praescivit bene usuros gratia conferenda hos praedestinavit, id est, elegit et quos praedestinavit postea vocavit. Et PETR. 1 *Petrus apos*

tolus Iesu Christi electis advenis secundum praescientiam Dei Patris. Et ad ROM. 11: *non repulit Deus plebem suam quam praescivit*, quibus locis significari videtur praescientiam hanc condicionatam boni usus gratiae fuisse necessariam ante electionem ad gloriam, unde D. TH. in hoc articulo docet bonum usum gratiae praescitum esse causam finalem collationis [49r] gratiae, et 3 p. q. 5 a. 5 ad 2 docet quod Christus eo tempore venit quia sciebat quod in illo tempore erant in illum credituri. Docet idem AUG(USTINUS) DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 9 et 3 lib. *Contra paganos* q. 2 et 49; CHRISOST(OMUS) homilia 65 super MATHEUM in illa verba *simile est regnum caelorum patri familias qui exiit* etc. ubi docet eo tempore fuisse vocatos quia sciebat Deus quod eo tempore erant credituri. Et ratione probatur haec conclusio quia quaecumque eveniunt in tempore sunt a Deo ab aeterno ordinata et, supposito quod futura sint, necessario sunt praescita, sed ita evenit in tempore quod praedestinatus recte usus est gratia ergo iste usus et fuit a Deo praeordinatus et scientia hac condicionata ante praeordinationem necessario cognitus, ergo haec praescientia boni usus fuit conditio sine qua non praedestineretur. Secundo quia quod futurum est cognoscitur a Deo scientia absoluta supposito decreto suae voluntatis, sed hoc ipsum erat sub conditione futurum ante decretum, ergo cognoscebatur a Deo sub ea conditione, sed bonus usus arbitrii in praedestinato est necessario futurus supposita praedestinatione, ergo cognoscebatur a Deo scientia absoluta supposito decreto et ante decretum scientia condicionata, est ergo haec praescientia conditio necessaria ad praedestinationem non tam ex parte praedestinati quam ex parte Dei necessario cognoscentis per hanc scientiam quidquid sub conditione est futurum.

Sed quod iste usus gratiae praescitus hac scientia non sit mensura donorum supernaturalium probatur quia plures vidit Deus per hanc scientiam recte usuarios gratia, si abundantior illis daretur, quam fuit postea collata illis in tempore et tamen haec maior gratia non fuit illis postea data, ut constat de Tyris et Sydonis quia sunt cogniti recte operaturi si illis tanta data fuisset gratia quanta data fuit Betsaidis et habitatoribus Corazaim et tamen illis non fuit data. Deinde quia negari non potest quin Iudeis maiora fuissent oblata auxilia cum Christus illis praedicaverit per ipsum quam gentibus et tamen multi ex Iudeis salvi facti non sunt sed

potius indurati cum illis auxiliis maioribus cum quibus multi ex gentilibus salvarentur si illis oblata essent et tamen oblata non sunt, unde conquaeritur Christus de Iudeis dicens *tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem mihi*; et ad ROM. 10 et MATH. 23 ait: *quoties volui congregare pullos tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alis et noluisti*, non ergo dantur dona supernaturalia pro mensura usus gratiae ex conditione cogniti.

His tamen quae diximus nihil obstat quominus Deus praestet aliquando abundantiora auxilia his quos videt per hanc scientiam recte usuros gratia, unde MATH. [49v] 25 et Luc. 19 illud talentum quod uni aufertur alteri tribuitur qui bene se gesserat, imo aliquando habet rationem Deus bonorum operum moralium non quia debita sit illis gratia sed ex sua misericordia abundantioribus auxiliis opitulatur his qui recte moraliter operantur, unde novimus Act. 10 Cornelium fuisse vocatum ad fidem propter orationem et elemosinam, et GENESIS 22 propter admirabilem Abrahae obedientiam dictum illi fuisse *quia fecisti hanc rem et non pepercisti unigenito tuo propter me benedicam tibi et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae*.

Ex his omnibus constat quae sit differentia inter praedestinationem Christi et nostram quod Christus praedestinatus est absque dependentia a suo libero arbitrio eo quod praedestinatus est ad unionem hypostaticam substantialem ante quam nulla opera Christi potuerunt esse praecognita, at vero nostra praedestinatio facta est dependenter a nostro arbitrio quantum ad effectus quia praedestinati sumus ad gloriam assequendam per merita, unde sicut in Christo nulla praecessit causa illius effectus suae praedestinationis sic etiam ex parte nostra nulla praecessit causa omnium effectuum nostrae praedestinationis. Sic docet AUG(USTINUS) lib. DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 15.

Sed iam solvenda sunt argumenta pro sententia IAVELLJ et aliorum facta. Et primo quidem ut antiquos Patres de praedestinatione diverso modo loquentes in concordia redigamus notandum est quod, ut recte docet DRIEDO DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII p. 1 c. 2 et c. 4 ad 3, RUARDUS TAPPER a. 7 CONTRA LUTERUM pag. 245, MOLINA q. 23 a. 4 et 1 disput. 1 memb. ultimo, Antiqui Patres disputantes contra duas haereses oppositas subortas optimo etiam modo loquuti sunt, nam disputantes contra Manicheos qui auferebant li-

bertatem arbitrii nostri ac per consequens nostra merita affirmarunt Patres Deum nullum hominem praedestinasse ad gloriam nisi visis iam meritis; loquuntur autem de praedestinatione accepta pro approbatione sive retributione gloriae. Sic loquuntur AUG(USTINUS), HIERO(NIMUS), AMBRO(SIUS) et plures alii pro opposita sententia citati. Unde constat solutio ad haec loca et ad similia quae afferri possunt ex his Patribus in quibus videtur assignari pro causa nostrae praedestinationis nostra merita. Sed postea suborta haeresi Pelagianorum tempore AUG(USTINI) et HIERO(NIMI) qui affirmarunt homines fuisse praedestinos propter bona opera moralia antecedentia gratiam opposito extremo adhaeserunt Patres et ideo affirmarunt Deum praedestinasse homines ante [50r] ulla opera praevisa. Quae sententia quae ab AUG(USTINO) cepit dura nimis visa fuit Patribus multis praesertim africanis putantibus, ut existimo, AUG(USTINUM) loqui de approbatione sive retributione gloriae, cum re vera loquatur de electione hominum ad gloriam antequam nulla opera potuerunt esse praevisa scientia visionis de qua loquitur AUG(USTINUS) et Patres, potuerunt tamen optime esse praecognita praescientia condicionata de qua nos loquimur.

Ad auctoritatem ECCLESIAST. oppositam respondet D. TH. supra q. 22 a. 2 ad 4 quod Deum reliquisse hominem in manu consilli sui nihil aliud fuit quam non imposuisse necessitatem hominis operibus sicut imponit operibus agentium naturalium, non autem significat ibi opera nostra non fuisse praedefinita sive praedestinata a Deo et ita non cadere sub effectu praedestinationis, unde ex hac auctoritate non colligitur causa aliqua praedestinationis ex parte nostra.

Ad locum ex MALACHIA: *convertimini ad me* etc. optime respondet TRIDENTINUM sessione 6 canone 5 quod in eo loco non exigitur a nobis aliquod opus quod non sit ab auxilio Dei et effectus praedestinationis sed admonemur nostrae libertatis sicut in illo loco TRENORUM ultimo: *converte nos Domine* etc. profiteamur nos gratia Dei praeveniri in operibus supernaturalibus. Ad argumentum factum deinde respondetur quod immerito extenuatur spes salutis fidelium, in quos fideles invehitur AUG(USTINUS) lib. DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 10 dicens: miror male se homines committere suae infirmitati quam firmitati promissionis Dei, incerta est, inquit, voluntas Dei de me ipso quid ergo, certa estne tibi voluntas tua de te ipso nec times, cur ergo cum utraque voluntas incerta sit homini potius vult suae infirmitatis committere

fidem, spem et charitatem suam quam firmiori voluntati Dei; unde admonet locutiones illas quae a vulgo circumferuntur, si electus non sum nihil mihi prodesse possunt bona opera et si electus sum nihil possunt mala obesse, extirpandas esse de cordibus fidelium tamquam reliquias Pelagianorum. Sed ut amplius satisfaciamus huic rationi dicendum est quod cum ante electionem hominum ad gloriam noverit Deus scientia condicionata hominem esse recte cooperaturum et perseveraturum, si praestet illi hoc vel illud auxilium in hoc vel illo tempore et nullum praedestinet sine hac scientia operum quae libere sunt ab homine futura, manifestum est ex voluntate libera hominis pendere et quod in gratia perseveret et salvus fiat.

Neque obstat si obiicias plures esse reprobos qui visi sunt a Deo recte operaturi et perseveraturi, si praeveniantur gratia quam praedestinati et tamen [50v] non fuerunt praedestinati, ergo bona illa opera scientia condicionata cognita nihil eis deserviunt. Sed respondetur quod nullus eorum, qui reprobantur a Deo, visus est recte operari per auxilia sufficientia et in gratia perseverare, quamvis fortasse videatur recte operaturus et perseveraturus, si praestaret illi Deus abundantio rem gratiam quam praedestinati multis praestat, non tamen voluit Deus aliquibus praestare maiora auxilia quam sufficientia cum quibus vidit eos esse damnandos, quia maiora vel minora auxilia praestare liberum est Deo et hoc est misterium de quo PAUL(US) admiratur ad ROM. 11 dicens: *oh altitudo* etc.

Ad argumenta facta in initio quaestionis respondendum est modo et primo ad auctoritatem PÆTRI: *satagite* etc. Respondetur ergo cum D. TH. in hoc articulo quod Petrus loquitur ibi de certitudine quantum ad ipsum operantem tantum ita ut sensus sit satagite et recte operamini interius et exterius ut ex opera vestra certi sitis vos —certitudine, scilicet morali— vos esse vocatos ad fidem et electos ad gloriam ut sic in vobis magis augeatur spes secundum illud PAULI *sed et gaudemus in tribulationibus scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem spem*, sed cum haec opera sint effectus praedestinationis non probatur dari causam omnium effectuum.

Ad locum PAUL(I) ad ROM. 8 respondet CAI(ETANUS) quod quamvis praescientia ponatur a Paulo ante praedestinationem tamen praedestinatio est prior praescientia nostrorum operum, quia

praescientia operum supponit decretum praedestinationis et ita non sumus praedestinati quia visi recte operaturi sed potius sumus praedestinati et postea visi operaturi. Sed haec solutio CAIE(TANI) quamvis vera sit loquendo de scientia visionis nostrorum operum tamen locus ille intelligendus est de scientia condicionata quae est ante praedestinationem ita ut sensus sit: quos praescivit scientia condicionata recte operaturos et perseveraturos hos praedestinavit sive elegit, non quia praesciret perseveraturos in gratia ex conditione, quoniam multi sunt visi perseveraturi sub conditione qui re vera electi non sunt, sed quia nullum praedestinavit et elegit quem non prius vidisset per hanc scientiam condicionatam in gratia perseveraturum.

Ad tertium locum respondetur quod in illis verbis *si quis emundaverit se ab his* significat libera cooperatio nostra cum gratia Dei, dicitur autem *fiet vas in honorem* quia praeparanti se ad gratiam ex auxilio Dei praestat Deus infallibiliter gratiam habitualem per quam fit vas in honorem sanctificatum Domino; haec tamen operatio [51r] continetur intra effectus praedestinationis et ita non potest esse omnium illorum causa.

Ad locum MATH. respondetur cum CHRISOST(OMO) homilia 53 in imperfecto quod nomine talenti eo loco intelliguntur gratiae gratis datae quae saepe distribuuntur a Deo secundum virtutem naturalem uniuscuiusque, qua ratione Petro et Paulo creditur fuisse distributas vel dicendum est cum D. TH. q. 24 a. 3 ad 1 quod nomine talenti intelligitur gratia habitualis quae datur unicuique secundum propriam virtutem, id est, secundum propriam dispositionem ab auxilio Dei, et tamen operatio et dispositio continetur etiam intra effectus praedestinationis.

Ad primum argumentum factum respondetur verum esse quae eveniunt in tempore fuisse a Deo praeordinata et volita non tamen verum esse quae eveniunt in tempore fuisse a Deo praeordinata et volita non tamen verum esse eo ordine fuisse a Deo ordinata et volita quo eveniunt in tempore quoniam ordo intentionis oppositus est ordini executionis, unde quamvis in tempore sint priora merita quam gloria et in executione detur gloria per merita tamen voluntas dandi gloriam fuit in Deo prior quam voluntas dandi merita et ideo non sequitur electionem ad gloriam fuisse factam propter merita praevisa; sic enim prius volumus sanitatem quam potionem

quae est medium quamvis in executione prior sit potio quam assecutio sanitatis.

Ad secundum argumentum respondetur quod, ut docet D. TH. supra q. 21, duobus modis invenitur iustitia in operibus Dei semper tamen absque ulla iniustitia: primo invenitur iustitia ex debito rationis alicuius existentis in creatura, qua ratione supposito quod dedit homini Deus quod sit homo ex iustitia debentur illi manus et potentia et hoc modo iustitiae gloria debetur suppositis meritis factis per praedestinationem; alio modo invenitur iustitia non fundata in aliquo existente ex parte creaturae sed tantum in promissione Dei vel ordinatione et talis iustitia est in creatione hominis supposito quod ordinavit hominem creare, quod opus magis est misericordiae quam iustitiae et hoc modo invenitur iustitia in praedestinatione quia respectu totius collectionis effectuum nulla est iustitia ex parte hominis sed tantum invenitur iustitia in ordine ad ordinationem et promissionem Dei, cuius ordinatio et promissio adimpletur conferendo effectus praedestinationis, quae collatio simpliciter est opus misericordiae.

Ad tertiam rationem respondetur quod praedestinatio est opus misericordiae et non iustitiae nisi impropriae et ita nulla supponit opera propter quae Deus hominem praedestinet, at vero reprobatio est opus iustitiae et ideo supponit peccata propter quae homo reprobetur et puniatur. Unde haec est differentia inter opera iustitiae et opera misericordiae, quod iustitiam punitivam non intendit Deus manifestare absolute sed ex [51v] suppositione peccati, quoniam punire non est bonum nisi supposita culpa, at vero misericordiam absolute vult Deus manifestare, quia absolute opus misericordiae est bonum absque suppositione. Neque obstat huic quod misericordia supponit indigentiam sicut punitio culpam, quoniam indigentia naturalis est creaturae hoc ipso quod creatura est, non autem culpa quam reprobatio et punitio supponunt.

Ad ultimum constat solutio ex illo Math. 20: *an non licet mihi de meo quod volo facere*; et ex illo ad Rom. 9: *an non habet potestatem figulus luti ex eadem masa facere vas in honorem et aliud in contumeliam, nunquid dicet figmentum ei qui se finxit cur sic me fecisti*. Quare autem hunc praedestinaverit Deus et non illum, cum in naturalibus pares sint a Deo visi non licet assignare rationem sed cum PAUL(O) AD ROM. 11 exclamare: *oh altitudo divitiarum* etc. et cum AUG(USTINO) dicere epistola 105 AD SIXTUM et DE PRAE-

DESTINATIONE SANCTORUM c. 9: cur potius istum liberet quam illum scrutetur qui potest tam magnum profundum iudiciorum eius, modo caveat sibi precipitium ut ne erret.

QUAESTIO 3. AN CHRISTUS DOMINUS SIT CAUSA NOSTRAE PRAEDESTINATIONIS.

Multum pendet haec quaestio ex his quae 3 p. q. 1 a. 3 de adventu Christi dicuntur et q. 24 a. 3 et 4 de eiusdem praedestinatione; quare breviter a nobis expedienda est. Est autem intelligenda haec quaestio sicut praecedens de praedestinatione sumpta pro collectione omnium effectuum. Et dubitandi rationes sunt haec. Prima quia Christus fuit effectus nostrae praedestinationis quoniam ex fine dandi gloriam nobis et redimendi nos a peccato missit Deus Christum in mundum propter nos, scilicet omnes et propter nostram salutem; est ergo Christus potius nostrae praedestinationis effectus quam illius sit causa. Secundo quia si Christus esset causa nostrae praedestinationis sequeretur quod non gratuita Dei voluntate sed ex debito iustitiae datae in Christi meritis praedestineremur contra PAUL(UM) ad ROM. 3 dicentem: *iustificati gratis per gratiam ipsius*. Tertio quia remota causa removetur effectus illius causae, ergo si Christus non esset causa nostrae praedestinationis non essemus praedestinati et ita nullus salvaretur non veniente Christo quod est falsum. Ultimo quia angeli et primi parentes habere primam gratiam absque meritis Christi et tamen per illam gratiam possent perseverare et assequi gloriam, ergo non habuerunt gloriam neque effectus praedestinationis per Christum, quod praesertim verum [52r] est in angelis beatis qui nunquam a prima gratia decederunt.

Propter haec argumenta et alia quae fieri solent tam ex Sacra Scriptura quam ex Sacris Doctoribus RUARD (US) A. 7 DE SATISFACTIONE thomo 1 pag. 243 ET DRIEDO DE REDEMPTIONE ET CAPTIVITATE tractatu 2 c. 2 p. 3 a. 4, CAPREOL(US) in 3 d. 18 q. 1, ADAMUS super epistolam ad ROM. c. 9 et ad EPHE. 1 asserunt Christum non fuisse nostrae praedestinationis causam, quoniam existimant hi doctores non fuisse nobis donatas per Christum et eius merita dispositiones ad gratiam, vocationem et fidem, sed donari nobis ex sola Dei liberalitate.

His tamen non obstantibus sit prima conclusio quod Christus dominus fuit causa omnium effectuum nostrae praedestinationis a prima vocatione usque ad glorificationem inclusive, non tantum exemplaris sed etiam finalis et meritoria, fuit etiam causa primae gratiae et primae gloriae tam in primis parentibus quam in angelis ita ut quidquid naturale et supernaturale est effectus praedestinationis totum illud sit nobis datum per merita Christi. Conclusio haec quantum ad primam partem est D. TH. 3p. q. 24 a. 3 et sequitur VEGA lib. 4 c. 5 et 6 et fere omnes THOMISTAE cum D. TH., praesertim MOLINA q. 23 a. 4 et 1 disputatione 2. Et haec eadem prima pars colligitur ex multis Sanctorum locis quorum quaedam asserunt omnem effectum supernaturalem, quaedam vocationem, quaedam fidem nos habere per Christum et primo quidem ex illo ad EPHE. 1: *benedictus Deus et Pater Domini Nostri Iesu Christi qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo sicut elegit nos in ipso* etc., et subiungitur *in quo nos sorte vocati sumus*, ergo per Christum sumus vocati et electi; et ad PHILIP. 1: *nobis datum est per Christum non solum ut in eum credatis* etc.; et ad HEB. 12: *aspicientes in autorem fidei et consummatorem Iesu*. Deinde ratione constat quia Christus est caput influens omnem motum spiritalem in nos tamquam in membra eius, ut D. TH. docet 3p. q. 8 et docuit PAUL ad EPHE. 4 dicens: *qui est caput Christus et quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam*. Innumera sunt Sanctorum loca quae hanc veritatem ostendunt. Hanc etiam veritatem docent Patres praesertim BERN(ARDUS) sermone 13 IN CANTICA dicens: quidquid sapientiae, quidquid virtutis te habere confidis Dei virtuti et Dei sapientiae deputa Christo. Docuit idem AUG(USTINUS) 2 lib. DE BONO PERSEVERANTIAE c. 7 ubi ait per Christum habet homo quod accedat ad Deum sicut quod non recedat a Deo et lib. 1 CONTRA DUAS EPISTOLAS PELAGIAN(ORUM) c. 3 fatetur omnem gratiam dari nobis per Christum. Idem docet CELESTI(NUS) I in epistola tertia et quarta AD EPISCOPOS GALLIAE ubi asserit quod per Christum [52v] bene utimur libero arbitrio. Docuit idem MILEVITANUM, canone 4 dicens: donum Dei est non solum scire quid facere debeamus sed et diligere ut faciamus, utrumque datur nobis per Christum. Et definivit etiam TRIDENTINUM sessione 6 canone 5 dicens: declarat Sancta Sinodus ipsius iustificationis exordium a Dei per Iesum Christum praeviente gratia sumendum esse, et canone 6 docet omnem dispositionem ad gratiam esse per Christum, unde

dubitandum non est quin **DRIEDONIS** et aliorum sententia error sit manifestus in fide. Unde falsum est quod asserit **MOLINA** loco citato canone 1 Christum non fuisse causam nostrae praedestinationis quoad integrum effectum quia non fuit, inquit, causa eventuum naturalium qui ordinant ad vitam aeternam; hoc enim falsum est quoniam per Christi merita datur nobis quidquid iuvat ad vitam aeternam et omnis praedestinationis effectus, sed haec naturalia iuvant et sunt praedestinationis effectus, ut supra visum est, ergo dantur nobis per Christum. Et ratione probatur quia, ut saepe docent Patres, sicut per Verbum in divinitate producit Deus omnia naturalia ita per ipsum in humanitate producit omnia supernaturalia tamquam per coniunctum instrumentum, ut etiam theologi fatentur; sicut ergo nullum est naturale quod non sit factum per verbum in divinitate ita nullum est supernaturale quod non sit factum per Verbum in humanitate. Tum etiam quia, ut Christus sit Redemptor secundum perfectam rationem et Salvator, necesse est ut non solum per ipsum habeamus gratiam sed etiam dispositiones ad gratiam quales sunt fides et vocatio, ergo omnes effectus praedestinationis dantur nobis per Christum.

Obiicies tamen quia Christi Incarnatio fuit effectus nostrae praedestinationis quoniam propter nos omnes et propter nostram salutem descendit de caelis, etc. sed Christus non fuit causa suae Incarnationis quae facta fuit, nullis praecedentibus meritis, ergo neque fuit causa omnium effectuum nostrae praedestinationis.

Propter hoc argumentum recentiores theologi dicunt non conferri nobis omnes effectus nostrae praedestinationis per Christum, quia existimant Christum esse effectum nostrae praedestinationis, sed falsum est principium hoc et dignitati minus consonum et Dei providentia indignum; quomodo enim Christus potuit esse exemplar nostrae praedestinationis et illius finis si effectus est eiusdem praedestinationis et medium ad gloriam nostram assequendam. Et constat aperte hoc esse falsum quoniam finis est cuius gratia cetera fiunt et medium quod fit gratia alterius, scilicet, finis, sed Christus secundum horum sententiam est factus gratia praedestinationis hominis et ex voluntate dandi homini gloriam, ergo nostra praedestinatio esset finis praedestinationis Christi et non e contra, cuius oppositum docet D. TH. 3p. q. 24 a. 3 et colligitur ex **PAUL(o)** [53r] ad Rom. 8: *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui*, qui locus ad minus explicat causam exemplarem.

Nec satisfacit quod quidam respondent dicentes Christum non esse effectum nostrae praedestinationis quia fuit causa exemplaris illius, sed haec solutio stare non potest cum principio supra posito, quia si factus fuit Christus ex voluntate dandi gloriam homini sequitur necessario quod sicut gratia et perseverantia propter eandem rationem sunt effectus nostrae praedestinationis et non causa exemplaris illius sic etiam Christus.

Unde dicendum nobis est ut supra Christum fuisse prius praedestinatum quam homines et per ipsum homines et angelos praedestinari, et hoc est Christum fuisse primum praedestinatorum et causam meritoriam omnium effectuum nostrae praedestinationis, exemplarem et finalem, quam veritatem probare non est huius loci sed attinet ad tertiam partem q. 1 a. 3 et q. 24.

Ad argumentum respondetur negando maiorem; dicitur enim Christum descendisse propter nostram salutem non quia primum motivum veniendi fuerit nostra salus sed quia fuit motivum veniendi in carne passibili et mortali, qua autem ratione cum hoc principio stare possit quod non veniret nisi existente peccato iam supra breviter attigimus.

Ex his sequitur quod secundo loco affirmamus Christum, scilicet, fuisse causam gratiae angelorum et primorum parentum quam peccando amiserunt, quod tamen negant autores illi qui putant Christum fuisse praedestinatum post visum originale, sed si semel concedant praedestinatum fuisse ante visum originale nobiscum etiam in hac conclusione consentiunt. Et ratione probatur quia nos sumus praedestinati ante praevisum originale ut vidimus articulo 4, sed Christus fuit causa finalis et exemplaris nostrae praedestinationis, ergo fuit praedestinatus ante originale, sed gratia innocentiae primi parentis fuit effectus suae praedestinationis, ergo fuit effectus Christi iam praedestinati. Tum etiam quia, ut docet D. TH. 2:2 q. 2 a. 7 et 3 p. q. 1 a. 3 ad 1, primi parentes in statu innocentiae habuerunt fidem misterii Incarnationis, sed non est dicendum fuisse prius iustificatos et postea habuisse fidem Christi in illo statu, hoc enim absque ratione et fundamento diceretur, ergo ab aeterno dispositum erat ut daretur fides primo parenti tamquam dispositio ad gratiam per Christum ac proinde prius fuit Incarnatio Christi a Deo ordinata quam gratia innocentiae primi parentis, ergo dicendum est fidem et gratiam fuisse illi datam per Christum. De angelis etiam potest probari quia similiter habuerunt fidem In-

carnationis a principio suae creationis, ut docet AUG(USTINUS) lib. 9 super GENESIM 19 et D. TH. 1 p. [53v] q. 57 a. 1; RUPERT(US) in illud IOAN. 8: ille homicida erat ab initio quamvis non habuerint angeli neque primi parentes ab initio suae creationis fidem misterii crucis et omnium circumstantiarum Incarnationis, quia non fuerunt iustificati per hanc fidem, ergo data fuit prima gratia et fides per Christum omnibus angelis, fuit ergo effectus praedestinationis Christi.

Ex his sequitur hoc unum esse concedendum autoribus oppositae sententiae quod Christus Dominus non fuit causa praedestinationis totius corporis mistici includentis angelos et homines tamquam membra et Christum Dominum tamquam caput, cuius ratio est quia Christus non fuit causa ullo modo suae Incarnationis quae includitur in corpore mistico, tamen si a corpore mistico excludamus caput revera Christus fuit causa praedestinationis totius corporis secundum omnes effectus quos habuit praedestinatio tam in hominibus quam in angelis; fuit quidem causa exemplaris quia ad illius exemplar sumus praedestinati; fuit etiam meritoria quia meruit nobis omnes effectus praedestinationis; fuit etiam finalis quia propter ipsum sumus praedestinati.

Ad primum constat solutio quia quamvis quod Christus fuerit passibilis et materialis fuerit effectus nostrae praedestinationis, non tamen Christus secundum se, sic enim causa fuit nostrae praedestinationis et non effectus.

Ad secundum quod quamvis nostra praedestinatio pro effectibus accepta habeat rationem debiti respectu Christi, qui illam meruit, tamen respectu nostri tantum habet rationem doni et non debiti, cum ante effectus praedestinationis nihil praecessisset in nobis ratione cuius tota collectio effectuum deberetur.

Ad tertium respondetur verum quidem esse quod de facto non essemus praedestinati nisi Christus praedestinaretur, optime tamen potuit Deus homines aliter praedestinare quam per Christum, quid tamen efficeret non veniente Christo nobis non est datum cogitare cum ex libera Dei voluntate pendeat.

Ad ultimum argumentum negandum est antecedens ut constat

QUAESTIO 4. AN DEUS PRAEDEFINIERIT IN PARTICU-
LARI CERTUM GRADUM GLORIAE ET MEDIA AD GLORIAM.

Quaestio haec non potest pro eius dignitate disputari a nobis brevitati studentibus; plurima enim peccanda essent necessario ex quaestione 14 a. 13 et ex q. 19 a. 8 et ex q. 22 [54r] a. 8; expedienda tamen est breviter.

Notandum est quod sub nomine medii ad gloriam intelligimus gradus gratiae, vocationem, iustificationem et perseverantiam et denique nostros actus liberos cum omnibus eorum circumstantiis. Et dubitandi rationes sunt quia si Deus determinavit certum gloriae gradum sequitur quod non potest homo pervenire ad maiorem gloriam quantumcumque mereatur neque ad maiorem gratiam quam sit illa quae est medium ad illum gradum gloriae. Quod si dicas merita etiam fuisse determinata sequitur maius inconveniens, scilicet, quod non sit in hominis potestate amplius mereri per gratiam et ulterius sequitur quod non potest homo non mereri illam gloriam ad quam praeordinatus est et imo sequitur quod ex necessitate mereatur, quod repugnat rationi meriti. Secundo quidquid a Deo est praedefinitum necessario erit, cum praedefinitio includat voluntatem Dei efficacem quae non potest non impleri, ergo si praedefinit vit Deus singula opera nostra cum omni circumstantia illorum sequitur quod singula fiunt specie necessario cum omnibus circumstantiis ac proinde nullum erit opus nostrum liberum. Nec valet si obiicias quod etiam scivit Deus scientia visionis infallibili nostra opera et tamen non imponit illis necessitatem. Contra hoc enim est primo quia etiam est difficile conciliare nostram libertatem cum scientia visionis Dei; tum etiam quia non est eadem ratio de scientia visionis et praedefinitione, quoniam scientia visionis supponit opera nostra et ideo non infert illis necessitatem, at vero praedefinitio non supponit sed potius causat eadem opera, ergo cum sit causa ex qua necessario sequitur effectus consequitur ut opera nostra eveniant necessario virtute praedefinitionis nec valet iterum dicere quod eveniunt necessario in sensu composito non tantum in sensu diviso; contra hoc enim est quod Dei praedefinitio non est in nostra potestate, cum praeveniat nostram voluntatem sicut causa praevenit effectum, ergo opus nostrum quod necessario sequitur ex illa non erit similiter in nostra potestate non tamen quando est supposito quod sit, sed etiam neque fuit in nostra potestate quando opus

fieret vel non fieret, quod est idem atque non fuisse in nostra potestate in sensu diviso.

Plura afferri solent argumenta ad probandum non posse opera nostra conciliari cum Dei praedestinatione, praedefinitione, providentia et scientia infallibili, sed haec sufficiant modo. Propter haec argumenta et alia similia multi affirmarunt non fuisse in Deo voluntatem efficacem dandi gloriam ante opera praevisa per scientiam visionis, contra quos disputavimus a. 4. Alii vero dixerunt opera nostra non fuisse a Deo praedefinita in se ipsis sed in sua causa, contra quam sententiam satis dictum est eodem articulo 4.

Sed praeter hos citatos modernos variae fuerunt doctorum sententiae ut conciliarent libertatem nostri arbitrii cum Dei praedefinitione. Quidam enim affirmarunt quod Deus non praede[54v] finivit certum gradum gloriae sed tantum gloriam homini daturum quasi in confuso nec definivit, inquit, nostra opera et intentionem ipsorum sed voluit ab aeterno auxiliari homini in tempore iuxta determinationem propriae voluntatis et visis operibus postea dare praemium gloriae secundum qualitatem suorum meritorum.

Sed haec sententia tanquam aperte falsa reiicienda est et contra illam sit prima conclusio: Deus ab aeterno efficaciter voluit et praedefinivit electis certum gradum gloriae et omnibus opera libera in individuo et cum certa intentione et cum omni circumstantia et modo quo fiunt in specie. Conclusio est communis omnium doctorum quos citabimus inferius. Et quidem de gradu gloriae colligitur conclusio evidenti ratione, quia quidquid evenit in tempore eo modo quo evenit non solum est a Deo praescitum sed etiam praedefinitum. Ut enim docet DAMAS(CENUS) 2 lib. FIDEI c. 30: mala quidem praescit Deus sed non praedefinit, bona tamen omnia et praedefinit et praescit sed in tempore praestat Deus hominibus diversos et certos gradus gloriae iuxta illud IOAN. 14: *in domo Patris mei mansiones multae sunt* et iuxta illud: *sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis* etc. ubi significatur diversitas graduum gloriae, ergo illi gradus gloriae sunt a Deo praedefiniti. Probatur maior quia quidquid futurum est evenit ex voluntate Dei tanquam ex causa non quidem volente in tempore sed ab aeterno. Quod si dicas esse quidem volitum a Deo gradum gloriae et praedefinitum non tamen voluntate efficaci, contra hoc est quod voluntas dandi gloriam praedestinatibus fuit electio, ut visum est, ergo

similiter fuit electio voluntas dandi tantam gloriam, at electio est voluntas efficax, ergo.

De operibus autem probari potest simul atque de gratiae gradu eodem fere argumento, quia opera et gratia sunt media ad gloriam iuxta quorum proportionem gloria confertur, ergo si tanta gloria fuit efficaciter praedefinita et volita sequitur quod fuerint definita tot opera cum tanta intensione et tanta gloria.

Difficultas tantum est modo an salva sit nostri arbitrii libertas cum hac operum praedefinitione. Et primo quidem supponendum est secundum fidem nostrum arbitrium manere liberum simpliciter quantumvis opera sint praedefinita. Quod docuit TRIDENTINUM supra saepe citatum. Et colligitur ex illo ECCLESIAST. 30 ubi de quodam praedestinato dicitur: *et erit illi gloria aeterna qui potuit transgredi et non est transgressus facere mala et non fecit*, et SAP. 4: *raptus est ne malitia* etc., et 1 COR. 10: *quis stat videat ne cadat* et 1 COR. 9 de se ipso PAUL(US) timere videtur dum ait: *castigo corpus meum et in servitutem redigo ne cum aliis praedicaverim ego [55r] reprobus efficiar*. Et tamen certum est PAUL(UM) fuisse praedestinatum, unde PSALM. 2 dicitur: *apprehendite disciplinam* etc. in quibus omnibus locis significatur libertas nostri arbitrii et praedesinatorem.

Tota difficultas in eo consistit quomodo cum hac determinatione et praedefinitione salvari possit electorum libertas.

Primus modus dicendi est BONAVENT(URAE) in 1. d. 40 a. 1 q. 1, RICARD(US) d. 38 q. 6; SCO(TUS) d. 40 q. unica; GAB(RIEL) et OCCAM d. 38 q. 1; GREGO(RIUS) q. 2; SILVEST(ER) in CONFLATO q. 12; DRIEDO DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII p 2 c. 2; VEG(A) lib. 2 c. 17 et lib. 12 c. 22; CORDU(BA) lib. 1 q. 55 dubio 11. Hi omnes asserunt salvari libertatem arbitrii cum divina praedefinitione et voluntate efficaci quia Deus non aliter praedefinivit actus nostros liberos et contingentia omnia quam ipsa sint futura, unde si res est futura contingenter praedefinita est et cognita ut contingens, et si futura est necessario fuit praedefinita necessario, et si futura non sit fiet a Deo ut non fuerit praedefinita et cognita ut futura. Unde quamvis sit necessaria in sensu composito si opera nostra sunt futura necessarium est esse cognita a Deo et praedefinita tamen quia possunt non esse futura possent etiam absolute non esse praedefinita et ita praedefinitio non aufert nostram libertatem circa opera nostra.

Sed haec sententia non uno modo defenditur. A quibusdam enim ita defenditur ut existiment dari potentiam ad preteritum et ideo quod iam productum est absolute posse non fuisse, ab aliis vero, ut CORDU(BA) et NOMINALIBUS, quoniam putant pro variatione actus nostri futuri, qui re vera potest non fore, variari respectum voluntatis et scientiae Dei ad rem futuram ac proinde praedefinita posse non esse praedefinita. SCOTUS vero et BONAV(ENTURA) aliter procedunt dicentes praedefinitionem Dei, quae mensuratur aeternitate nunquam fluente, semper esse presentem cuicumque rei et nunquam praeteritam aut futuram et ideo si res aut operatio libera fiat praedefinietur, inquit, a Deo, si autem non fiat non praedefinietur et sic dicunt salvari libertatem nostram cum praedefinitione Dei. Potest probari haec sententia primo quia ex opposito sequeretur Deum non creasse mundum libere; consequens est falsum, ergo. Probatur sequela quia ab aeterno decrevit Deus producere mundum pro eo instanti quo creavit, ergo si non potest fieri ut non duraverit sequitur quod mundus necessario erat futurus pro eo instanti quo fuit. Secundo quia futura contingentia sunt a Deo praedefinita et tamen sunt contingenter futura quae re vera possunt non esse vel ergo dicendum est Dei praedefinitionem [55v] non esse certam et similiter scientiam visionis qua videntur futura, quod est impium, vel dicendum est necessario posse non esse a Deo praedefinita nec cognita. Tertio quia homo pro eodem instanti quo aliquid vult potest illud non velle, quoniam agit libere, ergo pro eodem instanti quo vult potest fieri ut non voluerit; cur igitur hoc ipsum denegabimus Deo cuius volitio semper est praesens?

Haec tamen sententia manifeste falsa est praesertim iuxta primum et secundum modum defendendi illa, nam quod non detur potentia ad preteritum docuerunt HIERO(NIMUS) in epistola ad EUSTO(QUIAM) cuius verba citantur 32 q. 5. AUG(USTINUS) lib. 26 CONTRA MANICHEUM c. 5. Sic sentit D. TH. 1 p. q. 25 a. 4 et 2 CONTRA GENTES c. 25 et in 1 d. 42 q. 2 a. 2; DE POTENTIA q. 1 a. 3 ad 9 et QUODLIBETO 5 q. 2; RICARD(US) in 1 d. 42 q. 1 a. 5 et idem docent impossibile esse ut quod Deus semel voluit fuerit non volitum et expresse de scientia docuit D. TH. 1 p. q. 14 a. 13 ad 1. Hoc tamen probare non est huius loci et ideo unica ratio sufficiat quia si ad praeteritum esset potentia posset fieri a Deo ut mundus non fuerit postquam factus est et hoc ipso quod fuit est modo verum dicere quod

mundus fuit, efficiet ergo duo contradictoria vera, scilicet, quod mundus fuerit et quod mundus non fuerit, quod est impossibile.

Sed contra secundum modum sumitur fere idem argumentum, quia Deus ab aeterno non scit Antichristum esse futurum et praedefinivit esse futurum, ergo est verum dicere quod praedefinivit et tamen fieri potest etiam suppositione facta quod praedefinierit, quod non praedefinierit Antichristum fore, ergo potest fieri simul quod praedefinierit et quod non praedefinierit, quod sunt contradictoria simul vera. Secundo quia si propter libertatem divinae voluntatis fieri potest ut non praedefinierit Deus id quod semel praedefinierit sequitur quod voluntas qua voluit mundum fore posset modo non fuisse cum semper libere a Deo dependeat at per consequens potest dari potentia ad hoc quod mundus non fuerit quod est dari potentiam ad rem preteritam contra hanc eandem sententiam quae negat dari posse.

Sed contra SCOT(US) specialiter est argumentum quia nullus actus noster potest esse nisi quia Deus praedefinivit illum fore; vel ergo praedefinivit ab aeterno hunc meum actum liberum et iam sequitur quod sit praedefinitus et in sensu composito non possit non esse praedefinitus aut non praedefinivit ab aeterno et sequitur quod eadem praedefinitio cepit in tempore, quod dicendum non est. Secundo quia quamvis Dei praedefinitio semper sit praesens, tamen illa posita infallibiliter sequitur effectus sit, ex causa necessaria aut ex praedefinitione [56r] praeterita sequitur effectus infallibiliter, ergo sicut ex causa et praedestinatione praeterita optime inferri posset secundum SCOT(UM) quod actus noster erit sic etiam inferitur ex praedefinitione praesenti, igitur si ex prima necessario sequitur actus noster sic etiam ex secunda, nunquam ergo erit actus in nostra potestate. Tertio quia si causa praesens necessario producat effectum non est in mea potestate neque effectus praesens erit in mea potestate, sed quantumvis definitio Dei quae est causa nostri actus sit praesens non est in mea potestate, ergo neque actus meus erit in mea potestate, nullum igitur vitat inconueniens haec sententia.

Propterea CAI(ETANUS) 1p. q. 22 a. 4 videns praedefinitione Dei posita non posse non esse positam aliter procedit. Asserit ergo quod si actiones nostrae et futura contingentia considerentur in ordine ad propriam causam sunt quidem contingentia et libera, sicut effectus causae necessariae sunt ex eadem causa necessarij, sed

si considerentur in ordine ad divinam praedefinitionem ex qua necessario et infallibiliter sequitur actus praedefinitus, dicendum est, inquit, omnem effectum certo et infallibiliter fore et inevitabiliter evenire quia Dei praedefinitio aeterna est et immutabilis, cum ergo ex causa propria nostra, scilicet, voluntate sequatur quod actio praedefinita sit evitabilis et ex Dei providentia et praedefinitione sequatur quod sit inevitabilis, quae duo non possunt simul eidem convenire, dicendum est, inquit quod ex utroque simul sequatur aliquod medium inter evitabile et inevitabile et altius utroque quod a nobis in hac vita intelligi non potest quid illud sit. Cuius fundamentum est quia Dei providentia et praedefinitio est causa altiori et eminentiori modo quam causae creatae et praehabens in se omnes modos causandi causarum creatarum tamquam unum et idem in illa, sed ex causa creata necessaria sequitur inevitabilitas effectus et ex causa libera et contingenti sequitur evitabilitas, ergo ex Dei praedefinitione quae eminenter continet utrumque modum causandi debet sequi aliquid altius evitabili et inevitabili ita ut ex Dei praedefinitione neutrum illorum possit inferri sed aliquid altius et quasi medium inter evitabile et inevitabile.

Haec tamen CAI(ETANI) doctrina merito exploditur ab omnibus tamquam falsa et inintelligibilis sicut ipse fatetur se illam non plane intelligere. In primis enim falsum est quod supponit ex eo quod Dei praedefinitio sit certa actum nostrum inevitabiliter eventurum, quia sicut simul stant haec duo aliquid esse certum et esse contingens sic etiam esse certum et esse evitabile, cum sint idem evitabile et contingere. Falsum etiam est dari illud medium quod imaginatur CAI(ETANUS), quia evitabile et inevitabile opponuntur contradictorie sicut evitabile et non evitabile, ergo [56v] dari non potest medium, sed necessarium alterum illorum de nostris actibus verificatur.

Et confirmatur quia quamvis Deus eminenter sit homo et planta non dicemus quod datur in illo medium inter hominem et non hominem, plantam et non plantam, sed alterum horum necessario de Deo praedicatur, ergo quamvis modus causandi Dei sit eminenter modus causandi causae necessariae et causae libere creatae non sequitur in effectu suo debere esse aliquid medium inter evitabile et inevitabile.

His ergo omissis aliter concilianda est arbitrii libertas cum divina praescientia et praedestinatione. Dicendum ergo est quod ideo

praescientia Dei non infert necessitatem nostrae voluntati quia non est futurus actus noster quia cognoscitur, praedestinatio autem et providentia ideo non inferunt necessitatem quia non aliter Deus praedefinivit actum nostrum liberum quem videbat futurus (sic) scientia conditionata quae est ante decretum ex nostro libero arbitrio. Pro cuius intelligentia notandum est quod in Deo triplex est scientia rerum: una est naturalis necessaria qua cognoscit omnia quatenus possible sunt et appellatur simplex intelligentia; alia est scientia qua cognoscit Deus scientia absoluta futura omnia sive ut praesentia in aeternitate sive ut futura sunt supposito decreto voluntatis suae et praedefinitione circa res ipsas creatas, quae scientia vocatur a theologis scientia visionis; tertia scientia est quasi media inter has duas qua cognoscit Deus ante decretum suae voluntatis tam (sic) quae futura sunt in tempore si Deus in posteriori signo vellet eas fore. Pro cuius maiori intelligentia notandum est quod per hanc scientiam mediam quam hactenus conditionatam appellavimus cognoscit Deus penetrando totam vim nostrae voluntatis quod in hoc tempore et in hac occasione, si voluntati offeratur hoc vel illud auxilium, efficiet hoc et oblato maiori auxilio vel minori efficiet aliud et sic in infinitum cognoscit quid efficiet voluntas maiori illi auxilio oblato ipsa voluntate relicta suae naturae. Deinde in alio signo posteriori praedefinit Deus et vult huic homini praestare auxilium quo videt operaturum hominem et alteri vult praestare auxilium quo videt non fore operaturum, quod non est aliud quam praedefinire actum liberum eo modo quo vidit in priori signo futurum libere a voluntate et praedefinire actum alterius non fore sicut viderat in priori signo non esse futurum a voluntate creata nisi offerret illi maius quam re vera obtulit [57r] Unde sequitur quod cum Deus prius videat actum nostrum futurum libere sub conditione quod praestet hoc vel illud auxilium sufficiens vel maius sufficienti quam vellet fore et postea in alio signo rationis posteriori praedefinat actum nostrum eo modo quo viderat a nostra voluntate libere procedere, sequitur necessario quod nullam inferat necessitatem nostrae voluntati.

In hac sententia duo probanda sunt: alterum est quod ante decretum divinae voluntatis cognoscat Deus futura contingentia et actus liberos certo et infallibiliter, alterum est quod supposita hac scientia conditionata Dei praedefinitio et voluntas efficax nullam inferat necessitatem nostrae voluntati. Primum horum non est hu-

ius loci proprium et ideo breviter probandum est. Est enim sententia GREGO(RII) in 1 d. 38 q. 1; GAB(RIEL) q. 1 a. 1; PETRI DE ALIACO in 2 q. 11; CORDUBAE lib. 1 q. 55 dub. 2 et 5; et MOLINAE q. 14 a. 13 per plura loca et sequuntur illam plures moderni doctores. Ratione autem probatur quia de quocumque futuro erat verum dicere quod erat futurum in quocumque signo priori, ergo id quod intelligitur futurum, posito decreto divinae voluntatis in quocumque priori signo, erat futurum ante decretum, ergo potuit optime cognosci a Deo ante decretum quamvis sub quadam conditione et dependentia a divina voluntate quasi futura, si decreto iam posito cognoscitur sine conditione per scientiam absolutam visionis. Secundo quia omne quod verum est a Deo cognoscibile est eo modo quo est verum, alias cognosceret Deus rem aliter quam est vel ignoraret modum quo est, sed omnis actus noster qui per decretum est futurum, in priori signo ante decretum erat sub conditione futurus, ergo cognoscebatur a Deo infallibiliter sub conditione futurus.

Secundum autem scilicet, quod supposita hac scientia praedefinitio Dei non deroget libertati nostrae docent plures DOCTORES HUIUS TEMPORIS, praesertim MOLINA q. 14 a. 13 disputatione 50 et q. 19 a. 6 disputatione 1 et q. 22 a. 4 disputatione unica. Et probatur quia ideo divina scientia visionis non imponit necessitatem nostrae voluntati quoniam non aliter cognoscit actus nostros liberos quam ipsi sint futuri et ex nostra voluntate, sed praedefinitio qua Deus praedefinit actus nostros versatur erga illos eo modo quo visi sunt procedere a nostra voluntate, scilicet, libere, ergo talis praedefinitio et efficax Dei voluntas non infert necessitatem nostrae voluntati. Maior propositio patet ex CHRISOST(OMO) quia futura scandala praedixit idcirco certo evenient, sed quia omnino ventura [57v] erant idcirco praedixit. Et ex DAMASC(ENO) in dialogo CONTRA MANICHEOS ubi ait quod praescientia non fuit diabolo causa cur malus fieret, ex HYERO(NIMO) in illud ISAIAE 16: hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab non, inquit, quod praescientia Dei causam vastitatis attulerit sed quod vastitas futura erat, Dei maiestati praenota fuit. Idem docet AUG(USTINUS) DE CIVITATE c. 10, LEO I sermone 6, quibus locis docent quod Dei praescientia visionis non infert necessitatem et reddunt causam, quoniam non eveniunt futura quia praesciuntur a Deo; minor vero constat ex dictis et ex his quae diximus supra, quod, scilicet, praedestinatio supponit hanc praescientiam condicionatam tamquam conditionem sine qua

non predestinationis. Secundo probatur nam quia Petrus decrevit operari et postea operatur iuxta modum quo decreverat nullam sibi infert necessitatem etiam si operatio sequeretur ex priori voluntate necessario, ergo praedestinatio Dei iuxta modum quo creatura visa fuerat operari nullam potest inferre necessitatem. Tertio non maiorem necessitatem infert Deus praedefiniendo actus nostros humanos quam si nunquam praedefiniret ab aeterno sed solum in tempore vellet concurrere cum homine simul atque homo operatur quamvis ab aeterno esset verum quod hic actus erat futurus ex Dei voluntate et praedestinatione. Patet antecedens quia praedefinitio nihil ponit ab aeterno in homine formaliter sed solum ponit operationem in tempore ratione cuius hominem actu determinat sed si hoc modo vellet cum homine concurrere nullam inferret homini necessitatem, ergo.

Argumenta omnia supra posita tantum probant opera nostra fore necessaria supposito quod fuerint praedefinita et futura aut Deum voluisse illa necessario supposito quod voluit, scilicet, in sensu composito et ita fere omnia illa ex eodem capite dissolvenda sunt.

Ad argumenta prioris sententiae facile respondetur. Ad primum negatur sequentia, solum enim sequitur quod supposito quod Deus voluit non potest non velle, hoc est, in sensu composito et supposito quod creavit non potuit non creare, sed haec necessitas ex suppositione non opponitur libertati sicut quia ego ambulem necessario pro tempore quo ambulo non sequitur me necessario simpliciter ambulare sed tantum secundum quid.

Ad secundum respondetur concedendo antecedens sed negando consequentiam quia contingentia et libertas non opponuntur determinationi et certitudini sed necessitati et eadem ratione non opponuntur inmutabilitati divinae cognitionis et praedefinitionis, quia quamvis quod praedefinitum est possit absolute non esse, quod est esse contingens, quia tamen cum hac potestate ad opposita ad esse et non [58r] esse habebit tantum alterum v. g. esse, potest optime terminare infallibilem cognitionem.

Ad tertium respondetur quod potest quidem in sensu diviso non tamen in sensu composito, neque tamen est eadem ratio quantum ad omnia in homine et in Deo quoniam homo postquam semel voluit potest desistere a volitione, non quidem pro instanti quo vult sed pro futuro tempore, quia iudicare potest tamquam magis conveniens desistere a volitione ratione alicuius cogniti de novo,

quia tamen Deus non potest aliquid cogitare et iudicare de novo supposito quod semel velit non potest non velle etiam pro futuro tempore.

Argumentum CAI(ETANI) nihil concludit quia ex nulla eminentia sequi potest medium inter duo contradictoria ut visum est supra.

Ad argumenta in principio quaestionis respondetur. Ad primum quod in sensu composito supposito, scilicet, quod definita sunt opera et gradus gratiae verum est, quod est dicere supposito quod non sunt futura alia opera neque alii gradus gratiae absolute tamen potest praedestinatus ad plures pervenire gradus gloriae non tamen perveniet de facto. Confirmatio et argumentum secundum solum probant necessitatem et suppositionem quam nos concedimus. Ad objectionem respondeo quod praedefinitio Dei est quidem causa nostrorum operum sed non aliter quam opera praevisa sunt procedere ab humana voluntate et ideo nullam infert necessitatem. Ad secundam objectionem concedo praedestinationem non esse in nostra potestate sed nego consequentiam, quia cum praedefinitio sit ordinatio operis tendentis ex libero arbitrio, quamvis sequatur optime: est praedefinitum opus ergo erit, non tamen sequitur: ergo erit necessario necessitate absoluta.

Si autem quaeras quid sit dicendum de confirmatis an, scilicet, libere operentur respondetur eos esse liberos, non tantum quantum ad substantiam actus sed etiam quantum ad modum et intensionem et eos absolute posse peccare. Utrumque patet ex PAUL(O) 1 ad COR. 10 dicente: *castigo corpus meum etc. ne cum aliis praedica-verim ego reprobus efficiar*; et 2 ad COR. 12: *ne magnitudo revelationum extollat me datus est mihi angelus Satanae qui me colat* et tamen PAUL(US) confirmatus erat. Et ratione constat quia si non operarentur libere confirmati in gratia tam secundum substantiam operis quam secundum condiciones illius sequeretur quod secundum nihil istorum possent mereri et ita peioris conditionis esset confirmatus quam non confirmatus. Quod autem absolute peccare possint patet quia non magis necessario non peccavit confirmatus quam damnabitur reprobus; utrumque, enim, supponit praedefinitionem et praescientiam in Deo, sed reprobus absolute potest non damnari, ergo confirmatus potest peccare.

Si autem quaeras quid efficiat confirmatio in confirmato respondetur quod efficit ut confirmatus non peccet mortaliter ita ut

supposito privilegio confirmationis sequatur optime [58v] quod non peccabit mortaliter, non tamen sequitur quod non possit peccare, quia quamvis Deus auferat occasiones in quibus sciebat confirmatum peccatum non tamen aufert occasiones in quibus potest peccare et non est peccaturus. Unde supposito quod auferuntur occasiones in quibus erat peccaturus, relictis tantum illis in quibus certo videtur a Deo non peccaturus cum posset, bene sequitur quod non peccabit quamvis peccare possit.

QUAESTIO 5. AN NOSTRA PRAEDESTINATIO SIT IN NOSTRA POTESTATE

Non est quaestio de actu praedestinationis in Deo existente quoniam certum est non esse in nostra potestate, sed quaestio est de effectibus praedestinationis neque est quaestio de effectu aliquo in particulari quoniam certum est aliquos effectus praedestinationis esse in nostra potestate, saltem iustificationem, fidem et perseverantiam, sed quaestio est an tota collectio effectuum praedestinationis sit in nostra potestate sive sit in ea tamquam in causa principali sive instrumentali.

Plures THOMISTAE asserunt esse in nostra potestate; quorum quidam existimant esse in causa ut in instrumento, quidam ut in conditione sine qua non. Probant ex illo 2 PET. 1: *satagite ut per bona opera vestra* etc. Et ex AUG(USTINO) 6 HYPOGNOSTICI in fine et tractatu 6 super IOAN. dicente: si non traheris, id est, vocaris aut praedestinaris fac ut traharis (sic). Et ex THEOPHILACTO in illud MATH. 22: *multi sunt vocati* etc. ubi ait Dei esse vocare, electos autem esse velle nostrum est, quibus in locis significatur etiam vocationem esse in nostra potestate. Et rationem urgent quia omnes effectus sunt in nostra potestate, in primis vocatio efficax quae est primus effectus, cuius efficacia dependet ex nostro consensu, deinde perseverantia et iustificatio, sed posita perseverantia necessario infertur non esse praedestinos, ergo. Ultimo quia non esset in nostra potestate praedestinari, ergo neque salvari ac proinde frustra solliciti sumus de nostra salute quoniam si a Deo praedestinati sumus salvabimur, si autem non sumus infallibiliter damnabimur, quae omnia falsa sunt.

Sed his non obstantibus sit conclusio quod praedestinatio nostra accepta pro collectione omnium effectuum non est in nostra

potestate. Sic colligitur ex AUG(USTINO) lib. 2 AD SIMPLICIANUM q. 2 ubi ait quamvis sit in cuiuscumque potestate quid velit non tamen quid possit; et lib. 2 DE BONO PERSEVERANTIAE c. 8: non est, inquit, in hominum sed in Dei potestate, quod habeant homines potestatem filios Dei fieri, non enim sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis. Sed ratione manifesta probatur haec sententia [59r] quia primus effectus qui est vocatio non est in nostra potestate, ergo neque praedestinatio accepta pro collectione effectuum. Antecedens patet quia prima vocatio antecedit nostrum consensum liberum et omnem actum voluntatis nostrae, sed non potest esse in nostra potestate nisi ratione alicuius actus voluntatis liberi, ergo non est in nostra potestate. Secundo quia eventus naturales, motiones et illustrationes, quod nati simus ex parentibus christianis, quod non moriamur ante baptismum, non est in nostra potestate, ergo neque collectio omnium est in nostra potestate, cum hi eventus naturales sint effectus praedestinationis, ut diximus.

Si dicas quod nullus est effectus praedestinationis ad quem non se habeat homo active, ergo nullus est effectus qui non sit in nostra potestate saltem ut in causa physica, ergo tota collectio effectuum erit in nostra potestate. Sed respondetur quod esse in nostra potestate ut in causa physica non est re vera esse in nostra potestate sed nos concurrere active ad effectus praedestinationis; illud autem est in nostra potestate quod dependet a nostra voluntate ut a causa libera et quia non omnis effectus saltem vocatio dependet a nostra voluntate ut a causa libera ideo non omnes sunt in nostra potestate, praesertim quia neque ad omnem effectum praedestinationis nos habemus active, nam propositio obiecti non est in nostra potestate activa etiam physica, quamvis obiecti apprehensio sit active a nobis, unde sequitur falsum esse quod praedestinatio sit in nostra potestate ut in conditione sine qua non, ut dicebat opinio opposita, quoniam omnis effectus qui est in nostra potestate pendet a nostra voluntate ad minus ut ab instrumento quod re vera causa est et non conditio sine qua non, quod explicuit AUG(USTINUS) 1 lib. RETRACTATIONUM c. 22 ubi ait illud esse in nostra potestate quod cum volumus facimus et cuius nos sumus causa.

Ad auctoritatem PETRI respondetur quod praedestinationis nostrae certitudo pendet ex nostro libero arbitrio in quantum aliqui effectus pendent ex illo, sine quibus praedestinatio non esset certa.

non tamen sequitur inde omnes effectus etiam vocationem esse in nostra potestate.

Ad autoritatem AUG(USTINI) iam responsum est quod AUG(USTINUS) loquitur de certitudine praedestinationis quoad nos, ita ut sensus sit si non est certus quod praedestinatus est fac ut praedestineris, id est, quod per tua opera sis certus quod praedestinatus est. THEOPHILACTUS autem eo loco citato loqui videtur de praedestinatione pro approbatione ad gloriam suppositis meritis, qua ratione diximus supra plures ex Sanctis praesertim graecis accepisse praedestinationis nomen.

Ad rationem sunt qui concedant primum effectum praedestinationis esse vocationem prout efficax est et quia haec dependet ex nostro consensu, cum includat consensum, consequenter affirmant esse in nostra potestate ac proinde totam praedestinationem esse in nostra potestate. Sed horum sententiam reiicimus supra articulo 2; unde respondetur ad argumentum quod ante vocationem efficax [59v] cam fuit alius effectus praedestinationis, scilicet, vocatio prima sive ante efficaciam consensus quae re vera non fuit in nostra potestate.

Nec valet si urgeat quod omnis vocatio praedestinati est habitura ultimum effectum, scilicet, gloriae, ergo omnis illa est efficax ac proinde in nostra potestate. Sed respondetur quod transeat antecedens et negatur consequentia; non enim quia vocatio sit habitura ultimum effectum est in nostra potestate sed quia includit iam consensum et supponit liberam voluntatem, quod non habet vocatio quae habitura est effectum ultimum prout prima est et ante consensum nostrum.

Ad id quod obiicitur de perseverantia respondetur quod quamvis posita perseverantia necessario inferatur nos esse praedestinos non tamen inferitur quod si perseverantia est in nostra potestate sit etiam tota praedestinatio, quoniam ad perseverantiam supponitur vocatio prima quae in nostra potestate non est.

Ad ultimum respondetur quod quamvis prima vocatio non sit in nostra potestate nulli tamen denegatur sed certius est nos vocari a Deo quam si esset in nostra potestate, sed quia certitudo praedestinationis nostra pendet ex quovis effectu praedestinationis etiam eorum qui sunt in nostra potestate ideo opus est non esse sollicitos de nostra praedestinatione et conandum quantum possumus ut effectus omnes praedestinationis in nobis compleantur.

QUAESTIO 6. AN EX PARTE REPROBORUM DETUR CAUSA REPROBATIONIS

In qua quaestione non minus difficili quam illa quae de causa praedestinationis disputata est: supponendum est primo reprobationem ex parte Dei plures habere causas et rationes: primo est manifestatio bonitatis per opera iustitiae, secundo manifestatio potentiae divinae cum puniat nobilissimas creaturas, tertio manifestatio sapientiae quia omnibus provide*t* iuxta naturam suam, quarto manifestatio gratiae electorum quae magis elucet ex punitione malorum, quinto manifestatio libertatis Dei iuxta illud AUG(USTINI): quare hunc trahat et illum non trahat noli iudicare. Secundo supponendum est non esse quaestionem an detur causa reprobationis acceptae pro divino actu sed acceptae pro effectibus ipsius divini actus. Neque est quaestio de aliquo effectu singulari sed de tota collectione effectuum reprobationis si fortasse plures sunt, an, inquam, aliquid sit in nobis extra latitudinem effectuum reprobationis quod vere sit causa omnium effectuum reprobationis et sit quasi motivum divinae voluntatis ad reprobandum hos homines et angelos, quos re vera reprobavit, potius quam illos. [60r] In qua difficultate triplex potest referri sententia. Prima est D. TH. a. 3 et 1 et 3 CONTRA GENTES c. 161 y 163, et ad ROM. 9 lectione 2, et in 1 d. 41 q. 1 a. 2; MARSILII in q. 41 a. 2; DUR(ANDI) q. 2 n. 14; DRIEDO DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII p. 1 c. 4; ADAMI super epistolam ad ROM. c. 9; CORDUBAE q. 56; CAIET(ANI) et FERRARI(ENSIS) locis citatis asserentium ex parte reproborum nullam dari causam omnium effectuum reprobationis. Probari potest haec sententia ratione qua usus est D. TH. a. 3, quia ad eandem providentiam pertinet dirigere res in finem et permittere a fine deficere, sed per providentiam supernaturalem quae est reprobatio diriguntur homines in finem, scilicet, in paenam et excluduntur a gloria, ergo per eandem permittuntur deficere a fine et a mediis, quod est reprobare, sed huius permissionis deficiendi a gratia aut incidendi in peccatum nulla potest dari causa in nobis, cum sit ante omne peccatum, ergo omnium effectuum non potest dari causa, Secundo, quia sicut Deus praedestinando ostendit suam bonitatem per actus misericordiae ita reprobando ostendit illam per actus iustitiae, ergo sicut Deus ante peccatum ostendit praedestinando suam bonitatem per actum misericordiae ita reprobando ostendit illam ante peccatum per ope-

ra iustitiae, nulla igitur erit causa reprobationis ex parte hominis. Tertio quia in eodem signo rationis quo unum medium eligitur, alio medio relicto, illud aliud repudiatur et refutatur, ergo eodem signo quo Deus elegit quosdam ad gloriam alios repudiavit et exclusit a gloria, sed ante merita praevisa per scientiam visionis elegit quosdam ad gloriam, ergo ante opera et peccata praevisa excludit alios a gloria, igitur absque ulla causa ex parte illorum. Quarto quia qui non sunt electi ante operum visionem et ante omne peccatum illorum praevisum sequitur necessario quod damnentur, sed non potest sequi quod damnentur nisi pro eodem signo quo quidam fuerunt electi illi fuerint reprobati et ordinati in paenam quoniam, cum omnibus praestet Deus auxilia sufficientia, multi illorum salvarentur, ergo ordinavit illos Deus in paenam ante visionem operum et peccatorum. Tandem probatur ex illo PAUL(I) ad ROM. 9: *cum nondum nati fuissent* etc. ubi Apostolus ostendit quod sicut Iacob absque meritis fuit praedestinatus ita Esau absque demeritis fuit odio habitus et reprobatus. Praeterea quia inferius subiunxit PAUL(US) auctoritatem EXODI 33: *miserebor cui miserebor et misericordiam praestabo cui miserebor* ac si dicat miserebor eius quem pro mea voluntate praedestinare voluero et non miserebor eius quem voluero pro mea voluntate reprobare; unde concludi: *ergo cuius vult miseretur et quem vult indurat* et ut excludat quaerelam quam reprobis posse formare de Deo eo quod absque [60v] demerito illum excluserit a gloria, subiungit PAL(US); *oh homo tu quis est ut respondeas Deo, numquid dicet figmentum ei qui se fingit quid me fecisti sic an non habet potestatem luti ex eadem masa facere aliud quidem vas in honorem aliud in contumeliam*. Ex quibus omnibus significare videtur homines fuisse a Deo reprobatos absque ulla causa ex parte ipsorum.

Alia est sententia eorum qui asserunt ex parte reprobi dari causam suae reprobationis, scilicet, peccatum. Sed haec sententia bipartita est et secunda via procedit. Unde duplex est sententia eorum qui causam reprobationis concedunt ex parte nostra. Prima est quam AUG(USTINUS) tenacissime defendit epistola 105 thomo 2 et epistolam AD OPTATUM et lib. 1 ad SIMPLI(CIANUM) q 2 thomo 4 et in ENCHIRIDIO c. 90 thomo 3 et lib. DE PRAEDESTINATIONE ET GRATIA c. 3 thomo 7 et DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM c. 8 asserens reprobationis causam ex parte nostra esse peccatum originale. Putat, AUG(USTINUS) reprobationem et praedestinationem factas fuisse

supposita praescientia originalis peccati quo vidit Deus totam naturam infectam tamquam massam quandam perditionis ex qua massa voluit quosdam assumere ex sua misericordia et alios in eadem relinquere ex sua iustitia et hoc modo, inquit, quosdam praedestinavit Deus et quosdam reprobavit. Probat in epistola 105 AD SIXTUM explicans illud MALACHIAE 3: *Iacob dilexi* etc. dicens qui enim diligebat in Iacob ante quam natus fuisset aliquid boni nisi gratuitum misericordiae suae donum et quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali nisi originale peccatum et lib. 1 ad SIMPLICIANUM) explicans illum ad ROM. 9: *ut secundum electionem propositum Dei maneret* ubi ait occurrit animo quaerere quomodo dicat PAULUS) quomodo est iusta electio ubi nulla distinctio est, si enim nullo merito electus est Iacob nondum natus et nihil operatur neque omnino eligi potuit nulla existente differentia qua eligeretur. Item si nullo merito improbatus est Esau quia ipse nondum natus et nihil operatus erat cum diceretur maior serviet minori, quomodo eius improbatio iusta dici potest. Plura alia locis citatis tradit AUGUSTINUS) pro hac sententia.

Probari potest haec sententia ratione quia ante originale peccatum nullus praecessit effectus reprobationis cum permissio originalis illius effectus non sit, eo quod non permittitur Deus ut illud puniat, sed originale est causa omnium effectuum qui imaginari possunt post ipsum, quales sunt permissio cadendi in actuale peccatum et punitio aeterna, ergo originale est causa omnium effectuum reprobationis. Secundo patet ex [61r] ANSELM(O) in 9 c. epistolae ad ROM. rationem quare quidam salvantur reducit in liberalem Dei voluntatem, rationem vero propter quam damnantur fuisse inquit damnatorum propria demerita, in quo consentitur cum patribus citatis. Favet huic sententiae CONCILIUM VALENTINUM sub Lotario Imperatore quod loquens de collectione effectuum praedestinationis et reprobationis concedit causam in reprobatione ex parte nostra quam negat in praedestinatione Neque satis percipitur differentia huius nostrae sententiae a prima opinione citata a quibusdam theologis dicentibus hoc tantum esse inter illas discrimen quod prima concedit permissionem cadendi in peccatum esse effectum reprobationis et ideo consequenter asserit omnium effectuum reprobationis dari causam in nobis, non enim satis percipitur quia quamvis re vera in hoc differant tamen ex prima opinione sequitur in Deo ante visionem peccatorum fuisse voluntatem efficacem exclu-

dendi reprobum a gloria quod durissimum est. Ex hac vera sententia nostra solum conceditur efficax voluntas excludendi homines a gloria viso iam peccato quod est Dei clementia et misericordia dignissimum.

Secundo potest haec sententia ratione probari quia Deus non est prius ultor quam homo sit peccator iuxta commune axioma theologorum neque punit hominem nisi propter culpam neque Deus habet odio secundum se hominem sed potius illum diligit, numquam ergo voluit Deus aeterna paena punire neque vindictam acerbam sumere nisi propter visam culpam, ergo neque hominem reprobatur nisi propter culpam.

Tertio quia actus puniendi paena aeterna est actus iustitiae punitivae et vindicativae, ergo supponit culpam vindicandam et puniendam, ergo absque praevisa culpa noluit Deus hominem punire quod est reprobare. Et confirmatur quia bonum iustitiae vindicativae et punitivae est bonum condicionatum sicut paenitentiae bonum, ergo sicut paenitentia supponit commissa peccata et aliter bona non est, sic iustitia punitiva et vindicativa, ergo reprobatio quae est actus iustitiae vindicativae et punitivae supponit culpam praevisam tamquam causam.

Quarto quia Deus non permittit peccatum ea intentione ut puniat illud, quod esset crudele nimis ut etiam oppositi autores fatentur, sed si nullo praeviso peccato tamquam motivo ad reprobandum Deus vellet excludere hominem a gloria ex illa intentione teneretur velle permittere peccatum, scilicet, ut puniret illud, ergo non reprobatur Deus hominem nisi supposito peccato praeviso tamquam reprobationis causa.

Quinto quia Deus nullis praevisis peccatis vult omnes salvos fieri sed repug [61v] nat haec voluntas cum voluntate puniendi aeterna paena nullo praeviso peccato alias Deus ex se ipso vellet omnes salvos fieri et aliquos damnari efficaciter, quod est impossibile, ergo sequitur quod non reprobatur hominem nisi supposita causa ex parte hominis, scilicet, culpa.

Sexto quia si Deus ante visum peccatum vellet efficaciter hominem excludere a gloria ex hac intentione deberet velle efficaciter quidquid necessarium est ad excludendum hominem a gloria, sed peccatum esset necessario requisitum, ergo deberet Deus velle peccatum. Omnia patent et probatur maior quia, stante intentione finis, necessario sequitur electio eorum quae sunt necessaria ad finem

Neque obstat si respondeat quod peccatum non est medium ad reprobationem sed praerequisitum ad illam et ideo non necessarium est quod fuerit a Deo volitum ex voluntate puniendi sed satis est praesupponatur reprobationi. Contra hoc enim est quia per se prius fuit voluntas efficax in Deo excludendi hominem a gloria quam videret peccatum, ergo peccatum non fuit praesuppositum ad reprobationem, deberet ergo fieri per illam, cum sit necessarium ad puniendum sicut facta est permissio quia necessaria erat ad eundem finem aut assignanda est ratio cur permissio est effectus reprobationis et non peccatum. Neque obstat si dicas quod permissio est bona et ideo potuit esse a Deo volita non autem culpa quae mala est moraliter. Contra hoc enim est quia ex eo quod non potuerit esse volita a Deo et necessaria sit ad puniendum infero ego non fuisse in Deo voluntatem puniendi aeterna paena nisi supposita culpam iam visa et facta absque voluntate Dei aut saltem hoc inconueniens est necessario concedendum, quod supposita efficaci voluntate excludendi hominem a gloria adhuc est talis voluntas quantum ad suum effectum dependens ex peccato futuro quod incertum est et nondum a Deo visum neque praedefinitum.

Secunda conclusio: peccatum originale non est causa reprobationis in quantum originale est, quod est dicere non statim atque Deus vidit homines lapsos in originale illos reprobavit antequam videret eos in originali decedere. Hanc conclusionem sequuntur doctores citati supra et fere omnes Sancti, praeter AUG(USTINUM), supra citati, quos non oportet iterum referre. Potissima autem ratio pro hac conclusione est quia peccatum remissum non potest esse causa reprobationis eo quod remisso peccato consequenter remittitur reatus et debitum aeternae paenae ratione illius peccati, sed multis qui damnatur ex parvulis atque adultis remissum est in hac vita peccatum originale, ergo peccatum originale non potuit esse causa quare illi fuerint reprobati et aeterna paena puniti. Neque ex [62r] secundo, quia reprobatio fuit facta in eodem signo cum praedestinatione, sed praedestinatio facta fuit statim post visum originale, in cuius remedium praeordinatus est Christus, per quem sumus praedestinati; fuit etiam facta ante visa peccata actualia, ergo similiter fuit in eodem signo facta reprobatio, at in eo signo iam supponebatur sufficiens causa reprobationis, scilicet, peccatum non actuale quia nondum erat visum, ergo solum originale fuit causa reprobationis. Plura argumenta afferri solent pro hac sententia

sed quia tantum probant peccatum esse causam reprobationis non determinando an sit actuale vel originale inferius pro nostra sententia afferenda sunt.

In hac controversia, quae ex his quae diximus de effectibus reprobationis manet quodam modo decisa, notandum est apud omnes theologos certissimum esse quod nullus condemnatur nisi decedat in actuali vel originali peccato ratione cuius puniatio aeterna sibi inflicta est actus aequissimae iustitiae divinae sive ante visum finale peccatum sive illo iam viso fuerint homines reprobat. Neque tamen dicendum est Deum compellere ad peccatum per reprobationem, ut docuit TRIDENTINUM sessione 6 canone 4 ubi dicitur: si quis dixerit opera mala esse a Deo non solum permissive sed etiam proprie et per se anathema sit.

Unde secundo conveniunt omnes huius peculiaris effectus reprobationis qui est puniatio esse causam demeritoriam in omnibus reprobis illud, scilicet, peccatum in quo quis decedit. Difficultas autem in eo consistit an non tantum punitionis sed etiam omnium effectuum reprobationis detur causa ex parte nostra.

Tertio notandum est quod ut supra vidimus non omnes doctores assignant eodem effectus reprobationis et ideo in assignanda causa consequenter sunt divisi, nam autores primae sententiae putant omnem permissionem cadendi in peccatum esse effectum reprobationis et quia ante permissionem cuiuscumque peccati nulla potuit culpa praecedere tamquam reprobationis causa ideo negant omnium effectuum reprobationis dari causam ex parte nostra. Quamvis SOT(us) in caput 9 epistolae ad Rom. doceat quod culpa etiam prima est causa permissionis cadendi in eandem culpam, quia prius inquit est hominem nolle consentire quam Deum permittere peccatum, haec enim doctrina falsa est quoniam sicut respectu eiusdem operationis concursus hominis non est causa concursus Dei neque e contra quia sunt una et eadem operatio, sic etiam defectus hominis ab eadem operatione non est causa defectus operationis Dei cum sint defectus eiusdem operationis; at vero D. AUG(USTINUS) et qui illum sequuntur asserunt permissionem cadendi [62v] in originale non esse effectum reprobationis et consequenter asserunt omnium effectuum reprobationis causam esse peccatum originale quod praevium est a Deo ante omnem effectum, sed autores qui existimant nullam permissionem cadendi in peccatum esse effectum reprobationis, sicut articulo 3 diximus, affirmant consequenter nec.

catum finale sive sit actuale sive originale esse causam omnium effectuum reprobationis; unde huic disputationi applicanda est doctrina quae articulo 3 tradita est de effectibus reprobationis.

His igitur suppositis sit prima conclusio: omnium effectuum reprobationis tam hominum quam angelorum datur causa ex parte nostra, peccatum scilicet sive originale sive actuale. Hanc conclusionem cum AUG(USTINO) defendimus contra autores primae sententiae. Tenuit eam AUG(USTINUS) locis citatis pro sua sententia; SCOT(US) in 1 p. 41 q. 1; SOT(US) super epistolam ad ROM. c. 9; MAIOR in 1 d. 41 q. 2; IOAN(NES) A BONO(NIA) opusculo DE PRAEDESTINATIONE parte 2; CONTARI(NUS) tractatu DE PRAEDESTINATIONE CATARI(NUS) opusculo DE PRAEDESTINATIONE c. 9; FERRARI(ENSIS) 3 CONTRA GENTES c. 161; NICOLAUS GRANDIS in caput 3 epistolae AD HEBRAE; SILVES(TER) in CONFLATO citato; HERVEUS d. 40 q. 1 et videtur esse MAGIS(TRI) in 1 d. 41. Sic sentiunt cum AUG(USTINO) fere omnes Patres tam Graeci quam Latini: CHRISOST(OMUS), TEODORE(TUS), THEOPHIL(ACTUS) ORIG(ENES), AMBRO(SIUS), HIERO(NIMUS) praesertim super 9 c. epistolae ad ROM., FULGENTIUS lib. 1 DE PRAEDESTINATIONE AD MONIMUM, PROSPER REGIENSIS EPISCOPUS et HILARIUS ARELATENSIS, qui AUG(USTINUM) obiiciunt nomine MASILIENSUM et AFRICANORUM credibile non esse quod absque demeritis visis Deus excluserit aliquos a regno caelesti. Idem docent FAUSTUS EPISCOPUS lib. 62 DE GRATIA c. 6 dicens Deum singulari moderatoris examine quosdam dilexisse quosdam vero odio habuisse, quia si absque ulla discretione hunc assumeret et illum damnaret auferretur inquit omnino futuri causa iudicii. Et PROSPER AQUITANICUS in RESPONSIONE AD CAPITA GALLORUM c. 3 et RESPONSIONE 12 AD OBJECTIONES VICENTIANAS ubi de reprobis ait non sunt praedestinati quia praesciti sunt casuri, essent autem praedestinati si praevisi essent reversuri. Quam veritatem docuit etiam HIERO(NIMUS) TRENORUM 3 c.: non est, inquit, existimandum quod clementissimus Creator fuerit causa praedestinationis hominum impiorum quoniam ex AMBROSIO lib. 1 DE VOCATIONE GENTIUM c. 3 non omnis reprobus, non omnis electus sed partem caecitas voluntatem avertit partem sibi illuminatio gratuita reservavit [63r] Neque obstant solutiones quae huic argumento adhibentur, quarum prima est quod homo ordinatur ad paenam ex iustitia ratione originalis et eo ipso manet ordinatus non ex iustitia sed sicut si esset ordinatus ante ullum peccatum praevisum de facto tamen punitur a Deo propter alia peccata quae

committit. Contra hoc est quia si remisso originali adhuc vellet Deus hominem punire aeterna paena iam non potest dici peccatum originale causa, cum illi iam remisso nulla sit debita paena aeterna ut definit TRIDENTINUM; erit ergo talis reprobatio absque ulla causa iuxta secundam sententiam quae iam impugnata est.

Neque obstat aliorum secunda solutio quod, quamvis remissum fuerit originale multis reprobis, redit tamen originale idem ratione ingratitude commissae per sequens peccatum eo quod reprobis ingratus fuerit Dei misericordiae remittenti originale gratis, sed haec solutio parvi momenti est, quoniam ex ea sequeretur reprobis non damnari ratione originalis sed ratione actualis peccati quod est contra ipsam. Patet sequentia quoniam ingratitude sequens non est peccatum originale sed circumstantia actualis peccati, ergo si ratione ingratitude damnatur sequitur quod damnatur ratione peccati actualis.

Neque obstat tertio solutio dicentium quod quamvis reatus aeternae paenae remittatur simul cum originali, remanet tamen fomes et sensualitas quae est paena originalis peccati inclinans in malum et ratione repugnans secundum illud PAUL(I): *sentio aliam legem* etc. et ratione cuius fomitis incidit homo in alia peccata propter quae damnatur et quia haec peccata ortum habuerunt ex originali ideo originale dicitur causa reprobationis. Sed haec solutio facile reiicitur quoniam primus homo erat iam absolute reprobis ratione solius originalis et ita sequitur quod vel nunquam remittatur illi originale aut quod damnetur ratione peccati remissi vel si non esset absolute reprobis nisi secundum praesentem iustitiam sequitur quod absolute reprobatum ratione actualis quod subsequitur et non ratione originalis. Patet hoc ipsum quoniam eadem sensualitas esset in puris naturalibus, tamen in illam referri non posset causa reprobationis, ut constat, quia non habet illam odio Deus, ergo neque potest referri ut in causam in fomitem et sensualitatem provenientes ex originali tamquam ex prima radice. Neque obstat si dicas quod D. AUG(USTINUS) tantum intendit Deum ex massa perditionis aliquos liberasse per gratiam et alios in eadem massa reliquisse quae derelictio appellatur reprobatio. Sed haec solutio non est ad mentem AUG(USTINI) qui per reprobos intelligit re vera eos qui damnatur, ut in Iacob et Esau constat in quibus subiicitur [63v] exemplum, et per praedestinos eos qui salvantur, constat autem non omnes salvari qui a massa perditionis liberantur, ergo.

Neque placet solutio aliorum dicentium quod AUG(USTINUS) loquitur de reprobatione negativa, cum docet originale peccatum esse causam reprobationis, quod est dicere originale praevium non fuit causa cur Deus ordinaret hominem efficaciter ad paenam, fuit tamen causa quare non daretur illi gloria sive quod Deus se haberet negative non dando illis gloria, quam ex misericordia voluit aliis communicare. Sed minus placet haec solutio quia si haec reprobatio negativa admittatur primus effectus eius est permissio peccati originalis quoniam ex eo quod non vult Deus dare gloriam homini non vult impedire illius peccata, quod est illa permittere, sed permissionis cadendi in originale non potest esse causa originale peccatum in quod cadit, ergo neque omnium effectuum reprobationis potest esse causa peccatum originale.

Tandem quia Beatissima Virgo non fuit maculata originali, ergo non consistit praedestinatio in liberatione a masa perditionis et reprobatio in derelictione in illa. Ultimo quia causa reprobationis est qua posita sequitur hominem esse reprobandum et qua non posita non esse reprobandum, at posito originali multi salvantur et eo sublato multi damnatur, ergo originale non est causa reprobationis. Nec valet si dicas originale esse causam inadaequatam sicut aer est causa respirationis ubicumque est respiratio quamvis non ubicumque est aer respiret. Contra hoc est quia saltem in damnatis esset causa damnationis quamvis non esset in praedestinis, quod tamen falsum est cum multis damnatorum fuerit remissum originale ut visum est.

Quare sit iam tertia conclusio: causa adaequata omnium effectuum reprobationis est peccatum finale sive sit originale, ut in parvulis decedentibus, sive actuale ut in adultis, sive utrumque simul. Sensus huius conclusionis est quod in Deo non fuit voluntas puniendi paena aeterna nisi viso peccato in quo quis decedit et idcirco nullus effectus reprobationis praecessit peccatum finale sed omnes subsequuntur. Hanc sententiam sequuntur doctores citati in secunda opinione et sequitur ex his quae diximus articulo 3 quoniam nullus effectus reprobationis potest esse ante peccatum finale, cum nullum peccatum neque permissio peccati sit effectus reprobationis ut visum est, ergo peccatum finale est causa omnium effectuum. Et sequitur haec conclusio ex dictis in duabus praecedentibus conclusionibus quoniam omnium effectuum reprobationis datur causa quae est peccatum ut vidimus [64r] conclusione praecedenti supra, sed non

est peccatum originale ut visum etiam est, ergo debet esse actuale, non actuale peccatum non finale, quia hoc remittitur in hac vita et illi iam remisso nulla debetur paena, ut diximus de originali, ergo restat ut causa reprobationis sit solum peccatum finale.

Tertio si peccatum finale non esset causa maxime quoniam aliqua permissio peccati aut permanentiae in peccato esset effectus reprobationis, sed nulla istarum est effectus, quia in nulla sententia permittit Deum peccatum ea intentione ut puniat illum, ergo nulla permissio peccati supponit voluntatem puniendi ex qua fiat, sed effectus reprobationis supponunt voluntatem puniendi paena aeterna ut visum est, ergo nulla permissio peccati est effectus reprobationis, igitur finalis culpa est causa omnium effectuum.

Quarto si Deus reprobaret hominem ante visum peccatum finale, cum haec voluntas non supponat peccatum finale praevisum propter quod tantum homo punitur aeterna paena, sequitur quod ex ea voluntate teneretur velle aut peccatum ipsum efficaciter aut saltem illius permissionem ea intentione ut puniat. Patet consequentia ut diximus quia quae sunt necessaria ad finem, si non supponantur facta ante intentionem finis, necesse est ex illa intentione sint volita efficaciter. Ultimo quoniam aeterna punitio est actus iustitiae, ergo voluntas puniendi similiter, sed non potest esse actus iustitiae puniendi voluntas propter peccata non finalia quae remittuntur in hac vita cum quibus remittitur paena aeterna illis debita, ergo solum potest esse actus iustitiae punitio et voluntas puniendi propter finale peccatum quod nunquam remittitur.

Tandem quia pronior est Deus ad miserendum quam ad puniendum et sua bonitate vult misereri et ex nostris peccatis punire, ergo optimo modo se habet in miserendo et in puniendo, sed miseretur praedestinati ante omnia opera praevisa, ergo vult punire reprobos post omnia opera praevisa, igitur peccatum finale erit semper causa reprobationis.

Ad argumenta primae sententiae respondetur maiorem esse certam de providentia communi reprobo et praedestinato quae, cum ineffaciter dirigat in finem, permittit quosdam deficere a fine non tamen vera est loquendo de praedestinatione quae, cum efficax sit, nullum praedestinatum permittit deficere a fine. Neque obstat si obiciatur quod praedestinatio permittit deficere a mediis cum sit causa passivae permissionis peccati, ergo permittit deficere a fine. Sed respondetur quod praedestinatio non permittit deficere a mediis

necessariis quoniam, licet permittat praedestinatum cadere ab hac gratia [64v] permittit tamen ea intentione ut praedestinatus resurgat in maiori gratia vel saltem in alia gratia in qua perseveret usque ad finem vitae. Unde non permittit cadere a gratia finali quae necessaria est ad consecutionem gloriae.

Ad secundum concedo consequens sed nego consequentiam, quia ex eo quod per actus quasi optimos ostendat Deus suam bonitatem sequitur optimas debere habere causas et ideo omnium effectuum reprobationis causa est aliquid in nobis existens, effectus vero praedestinationis nihil in nobis est causa sed tota causa est ex parte Dei.

Ad tertium inferius constabit solutio cum assignemus ordinem praedestinationis inter causam, tamen negatur in eodem signo reprobationem et praedestinationem fuisse facta, ut optime negat SCOT(US) citatus. Ratio quidem est quoniam Deus ex sua sola bonitate tamquam motivo praedestinat nullo spectato consensu, reprobatur vero spectatis operibus nostris tamquam motivo proximo ad reprobandum et idcirco non in eodem signo quo praedestinavit alios reprobavit sed in diverso. Neque obstat si dicas quod praedestinatio et reprobatio sunt species condivisae, ergo debent esse simul. Respondetur concedendo esse simul secundum rationem, id est, immediate sub eodem genere providentiae contineri secundum suas essentias, sicut homo et equus sub animali, non tamen necesse est ut simul existant et fiant nam quamvis homo et equus immediate secundum suas quidditates contineantur sub animali non sequitur quod secundum suam existentiam sint simul, sed optime potuit fieri unus sine alio.

Ad quartum constat solutione in articulo 4 quaestione 2; ex eo enim infallibiliter damnatur qui non sunt electi quia iam videntur non esse salvandos sub ea conditione quod Deus in posteriori signo non velit illis praestare nisi illud auxilium quod re vera in posteriori signo vult praestare et videt non habiturum effectum, non tamen damnantur quia ante visa peccata fuerit in Deo efficax voluntas excludendi homines a gloria.

Ad locum PAUL(I) de Esau et Iacob respondetur quod nomine odii circa Esau non intelligit PAUL(US) positivam voluntatem qua Deus vellet illi malum paenae illum reprobando, sed intelligit negationem dilectionis ita ut sensus sit ante praevisa opera bona et mala Iacob dilexi, id est, volui illi efficaciter praestare gloriam, Esau autem odio habui, id est, Esau non dilexi illum eligendo ad gloriam

et ita quod alter fuerit dilectus et alter non dilectus non fuit causa ex parte illorum iuxta illud AUG(USTINI) citatum: quare hunc trahat etc. Quod autem nomine odii intelligat Sacra Scriptura defectum dilectionis sive non velle bonum [65r] alicui quod alteri est volitum constat MATH. 6 ex illis verbis: *nemo potest duobus dominis servire, aut enim unum odio habebit et alterum diliget* et LUC. 14: *si quis venit ad me et non odit patrem et matrem non potest esse meus discipulus* et IOAN. 12: *qui odit animam suam in hoc mundo*; et EXOD. 22: *visitans Deus iniquitatem in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me*, in quibus locis idem est odio habere atque non diligere, hoc autem non est reprobare cum reprobatio sit actus providentiae sicut praedestinatio. Loca autem inferius citata ex eodem capite 9 eodem modo intelligenda sunt quoniam misereri dicitur Deus illius quem diligit ad gloriam et non misereri eius quem non diligit.

Ad argumentum AUG(USTINI) respondendum est modo et ad locum PAUL(I) de Iacob et Esau respondetur quod electio Iacob fuit ante visum originale, imo ante visam gratiam innocentiae quae in primo parente fuit ante originale, et ita ante originale praevisum fuit Esau odio habitus hoc est non electus, positive autem fuit odio habitus post visum finale peccatum et non antea. Si autem quis quaerat quomodo potuit esse electio inter Iacob et Esau, si pares inventi sunt a Deo, respondetur quod eadem difficultas est in sententia AUG(USTINI) qui utrumque concedit aequaliter in eadem masa perditionis sed respondetur quod cum electio Dei in quantum dilectio est faciat bonum in re quam diligit non necesse est supponat inaequalem eum quem eligit sed satis est quod per ipsam dilectionem inaequalem faciat illi conferendo maius bonum.

Ad argumentum primum respondetur quod quamvis peccatum originale mereatur aeternam paenam damni, quae est effectus reprobationis, non tamen voluit Deus statim atque potuit ex iustitia hominem reprobare illum a gloria excludere sed ex sua misericordia expectavit usque ad visum finem vitae illum non excludendo a gloria donec in illo videret nullam esse potestatem recte operandi ne videretur illi auferre potestatem illi decedendi in gratia.

Ad secundum constat ex dictis, est enim neganda utraque pars antecedentis.

Plura quae obiici solent contra nostram conclusionem iam manent soluta a. 3, dum disputaremus de effectibus reprobationis

et quae de novo afferri possunt ex dictis ibi et in hoc articulo silventur.

Sed pro sententia D. AUG(USTINI) videtur esse difficile hoc argumentum quia ordo naturae fuit cognitus a Deo ante ordinem gratiae, sed peccata pertinent ad ordinem naturae [65v] cum ex viribus naturalibus committantur, electio autem et praedestinatio ad ordinem gratiae, ergo prius fuit in Deo cognitum originale quam fuisset facta electio, praedestinatio et reprobatio, igitur ad reprobationem supponitur peccatum originale, poterit ergo esse causa reprobationis. Hoc argumentum petit eam difficultatem an scilicet praedestinatio et reprobatio supponant praescientiam futurorum; unde sit quaestio.

QUAESTIO 7. AN PRAEDESTINATIO ET REPROBATIO SUPPONANT PRAESCIENTIAM FUTURORUM.

Quoniam plura diximus hactenus quae ad hanc quaestionem attinent breviter expedienda est modo.

Sunt qui dicant praedestinationem supponere solum praescientiam futurorum sub esse possibili non tamen sub esse futuro in tempore, quod ea ratione probant quia ante quam res fieri ordinentur a Deo non habent nisi esse possibile, sed praedestinatio et reprobatio sunt ordinatio futurorum, ergo tantum praecedit praescientia fuurorum sub esse possibili. Haec tamen sententia falsa est aperte in quantum negat omnem praescientiam futurorum ut futura sunt ante praedestinationem. Est enim contra D. TH. 3 p. q. 1 a. 3 ad 4 asserentem quod praedestinatio supponit praescientiam futurorum in Deo ubi cum loquatur de re futura, ut futura est, certum est non loqui de eadem quatenus solum habet esse possibile.

Unde sit prima conclusio: praedestinatio supponit praescientiam conditionatam omnium futurorum ut futura sunt, qua praescientia cognoscit Deus res esse futuras supposito quod velit in posteriori quodam signo decernere quod fiant. Et hoc est quod docet D. TH. loco proxime citato et docet MOLINA q. 23 a. 4 et 5 disputatione 1 memb. 7 Et ratione probatur quia haec scientia non supponit decretum voluntatis Dei decernentis quod res fiant, quia scientia quae sequitur decretum est absoluta sicut res per decretum futura est absoluta, ergo sequitur quod est ante decretum et praedestinationem, cum non repugnet futurum sub conditione cognosci ut su-

pra visum. Tum etiam quia practica cognitio rei supponit necessario cognitionem speculativam eiusdem quoniam illud faciendum ordinatur per scientiam practicam quod speculative cognitum est futurum si hoc fiat, sed circa futura ut sic, ante scilicet quam ordinentur per practicam scientiam, non potest esse alia cognitio quam condicionata, ergo haec cognitio praecedat praedestinationem et reprobationem.

[66r] Tota difficultas est an scientia visionis futurorum praecedat praedestinationem et reprobationem. CAI(ETANUS) motus quibusdam verbis D. TH. loco citato docet tres esse rerum ordines: primus inquit est ordo naturae, secundus gratiae, tertius unionis hypostaticae. Ad primum ordinem dicit pertinere res naturales prout in finem naturalem ordinantur et similiter peccata quia ex propriis viribus fiunt atque etiam monstra quae sunt defectus naturales; ad secundum attinent gratia et opera gratiae, praedestinatio et reprobatio; ad tertium vero pertinet unio hypostatica. Ex quibus ordinibus secundus inquit est excellentior primo et tertius secundo; similiter secundus supponit cognitionem primi et tertius secundi. His igitur positis asserit quod praedestinatio non supponit scientiam visionis futurorum quae pertinent ad tertium ordinem neque eorum quae pertinent ad ordinem praedestinationis, quoniam quae pertinent ad ordinem unionis nondum facta intelliguntur, quae vero pertinent ad ordinem praedestinationis per ipsam praedestinationem fiunt, supponit tamen inquit praedestinatio scientiam visionis eorum quae sunt in primo ordine et per consequens scientiam visionis peccatorum quae spectant ad primum ordinem et sic putat salvari quod originale peccatum prius fuisse visum quam Christus praedestinatus in remedium illius et quam facta fuerit hominum electio et praedestinatio.

Sed haec sententia ut falsa reicitur ab omnibus et ideo sit secunda conclusio: omnia peccata reproborum fuerunt visa ante reprobationem. Patet haec conclusio quia causa reprobationis fuit prius visa quam eius effectus, scilicet, reprobatio, sed peccata finalia sunt causa reprobationis et peccata remissa sunt priora finalibus, ergo omnia peccata sunt visa priusquam facta sit reprobatio.

Tertia conclusio; incarnatio fuit prius visa ut futura quam fieret nostra praedestinatio et viderentur futura quae fiunt per praedestinationem. Patet hoc esse verum quia Christi praedestinatio fuit exemplar et causa finalis nostrae praedestinationis, ut diximus

supra, ergo fuit prius praedesinatus Christus ad unionem et incarnationem quam nos simus electi ad gloriam, igitur prius fuit scientia visionis de incarnatione futura quam esset visio effectus nostrae praedestinationis gloriae, scilicet, gratiae et perseverantiae. Unde falso docet CAI(ETANUS) quod ordo gratiae sit prius ratione visus quam ordo hypostaticae unionis.

Ex his sequitur quod scientia incarnationis sit prior scientia et notitia peccati etiam originalis, quod sic ostenditur quia incarnatio fuit prius visa quam esset nostra electio et nostra electio ad gloriam fuit facta ante visionem operum, ergo ante visionem peccati originalis igitur de primo ad ultimum [66v] prius fuit visa incarnatio quam peccatum originale, cuius oppositum immerito docet CAI(ETANUS). Ex his sequitur secundo quod electio praedestinatorum fuit prius facta quam scientia visionis cuiuscumque peccati, cuius etiam oppositum falso docet CAI(ETANUS). Patet hoc esse verum quia nos sumus electi ante visionem operum, ergo ante visionem peccati.

Quarta conclusio: electio nostra supponit praescientiam futurorum naturalium quae fiunt per naturalem providentiam, non tamen supponit praescientiam eorum quae fiunt per nostram praedestinationem. Primum probatur quia providentia naturalis est prior providentia supernaturali sicut natura est prior gratia, ergo quae ordinantur per providentiam naturalem sunt priora his quae ordinantur per supernaturalem qualis est praedestinatio. Secundo quia praedestinatio est ordinatio hominis ad gloriam, ergo supponit hominem qui ordinatur vel facit illum sed non facit ut constat, ergo supponit factum per providentiam naturalem.

Ex his sequitur ea fuisse priora in mente et voluntate divina quae sunt causa vel occasio aut subiectum aliorum, unde naturalia quia se habent ut subiectum supernaturalium fuerunt priora supernaturalibus, inter supernaturalia vero prius fuit visus et ordinatus Christus tamquam causa praedestinationis nostrae, deinde fuit nostra praedestinatio et postea visa sunt futura facta per praedestinationem, inter effectus autem praedestinationis unus fuit praevisus alteri secundum quod est illius causa et plura peccata et peccatorum permissiones, quae occasiones sunt praedestinato perveniendi ad maiorem gratiam, sunt etiam priora quam gratia vel effectus quorum sunt occasio. Ex quibus sequitur quanta falsa admisceat CAI(ETANUS) cum assignat ordinem inter peccata, effectus praedestina

tionis et incarnationem, quorum singula persequi impertinens iudicavi.

Ad argumentum pro prima sententia negatur consequentia quia ante praedestinationem praecedit ordinatio Christi venturi et ante utramque fuit condicionata scientia futurorum.

QUAESTIO 8. QUALIS FUERIT ORDO SIGNORUM IN PRAEDESTINATIONE ET REPROBATIONE.

Non est animus varias sententias referre circa ordinem divinae praedestinationis sed regulam quandam tradere quae ex hactenus dictis colligatur et in qua totum negotium praedestinationis brevi serie collectum possit prae oculis facile haberi. Primo ergo Deus Optimus Maximus cognovit varios modos quibus suam bonitatem, sapientiam, potentiam et misericordiam posset ostendere, cognovit etiam scientia conditionalis quid eveniret si hoc vel illud vellet et in hoc signo ordinavit creare uni [67r] versum perfectum quantum ad naturalia servato ordine partium inter se. Secundo voluit creare universum cuius partes imperfectiores voluit esse propter perfectiores, inanimata scilicet propter animata et vegetalia propter sensitiva et haec propter hominem etc. Tertio cognoscens homines et angelos capaces esse suae beatitudinis et universum perfici posse secundum supernaturalia ordinavit Christum mittere optimo modo quo fieri posset ad manifestandum suam bonitatem, potentiam, sapientiam, misericordiam et iustitiam ut Christus esset autor gratiae et ideo voluit Christum venire tamquam caput hominum et angelorum eo modo quo ordinaverat. Quarto cognoscens per Christum, in quo maxime complacuit, posse communicare suam gloriam angelis et hominibus decrevit omnibus dare gloriam per Christum et media sufficientia ad gloriam assequendam non quidem efficaci voluntate sed antecedenti et inefficaci, inaequaliter tamen pro sua libertate libera et gratuita. Quinto videns scientia conditionalis quod cum hoc auxilio minori non salvabitur iste et cum illo maiori ille salvabitur et in universum videns quo auxilio quisque salvabitur et quo non salvabitur, si illis vellet communicare suam gloriam et auxilia illa quae cognoscebat efficacia fore, voluit pro sua libertate quibusdam hominum et angelorum suam gloriam communicare unicuique secundum certum gradum, circa alios vero homines et angelos se habuit mere negative et haec voluntas qua voluit

aliquibus gloriam appellatur electio. Sexto voluit omnibus quos elegerat dare media quae viderat in illis fore efficacia, unde voluit vocare, iustificare et praestare perseverantiam, circa reprobos autem se habuit mere negative permittendo eorum peccata sive non prohibendo. Septimo videns quosdam hominum et angelorum in gratia perseverasse usque in finem voluit illis dare gloriam tamquam praemium suorum meritorum et iuxta illorum quantitatem, videns autem, reprobos decedere in peccato finali sive originali sive actuali voluit illos excludere a regno caelorum et punire in paenam suorum demeritorum et hoc modo totam praedestinationem et reprobationem absolvit.

Plura alia signa intermedia dividi possent amplius sed quae proposita sunt sufficere videntur ad percipiendum ordinem praedestinationis, etsi nostro modo intelligendi multiplicari necesse sit ad cognoscendum praedestinationis ordinem, tamen in Deo omnia fuerunt simul tempore et natura absque successione et prioritatem.

Illud vero videtur superesse dubium quia homines non sunt praedestinati nisi ad [67v] supplendum angelorum casum et occupandum sedes angelorum qui ceciderunt, ergo prius visi sunt angeli cadere quam homines fuerint praedestinati, non ergo simul et in eodem signo praedestinati sunt homines et angeli. Sed respondetur non assumi homines ad gloriam eo fine ut suppleant defectum eorum qui ceciderunt, cum illi scilicet angeli qui corruerunt nullas sedes occupaverint neque adepti fuerint divinam visionem neque creatus fuit homo aut praedestinatus occasione peccati angelorum sed per se fuit creatus et praedestinatus et non ex occasione quia natura sua est homo capax gloriae sicut angeli. Ita docet GREGORIUS HOMILIA 14 IN LUCAM; RUPERTUS lib. 3 DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI c. 21. Commune autem et vulgare dictum quod homines assumuntur ad sedes angelorum occupandas inde processisse videtur quia putatur vulgo angelos a gloria cecidisse ut communiter dicitur sed assertum illud metaphoricum est et falso innititur principio, unde quod ait D. TH. DE VERITATE q. 6 a 3. homines scilicet assumi in gloriam ad supplendum praedestinatorum numerum sic potest iustificari quod Deus praedestinavit certum numerum formaliter qui cum ex angelis adimpleatur debuit compleri ex hominibus, sed de hoc dicemus inferius latius.

Articulus 6. Utrum praedestinatio sit certa

Conclusio prima est affirmativa.

Secunda conclusio: quamvis praedestinatio certa sit et infallibiliter assequatur effectum non infert necessitatem nostrae voluntati.

Solet circa hunc articulum esse disputatio de concordia nostri arbitrii cum praedestinatione sed iam satis disputatum est de hoc articulo 5; sed circa primam conclusionem sit quaestio.

QUAESTIO. AN PRAEDESTINATIO HABEAT CERTITUDINEM EX PRAESCIENTIA AN VERO EX PRAEDEFINITIONE.

Supponimus in hac quaestione praedestinationem esse certam quoniam id probat sufficienter ratio D. TH. quia scilicet praedestinatio est pars subiectiva providentiae, sed providentia Dei semper assequitur finem, subintellige intentum a Deo, non enim semper assequitur finem ipsius rei quae saepe non attingit finem sibi proprium, ergo praedestinatio semper assequitur finem et ex consequenti est certissima.

Sed difficultas est an praedestinatio habeat certitudinem ex praescientia, id est, an eveniat [68r] infallibiliter effectus praedestinationis quia praescitur a Deo cuius scientia est infallibilis, an vero habeat certitudinem ex praedefinitione, id est, ex practica ordinatione tamquam ex causa eius quod evenit in tempore.

Sit prima conclusio: praedestinatio habet certitudinem ex praescientia. Constat haec conclusio ex quaestione 14 ubi probavit S. TH. optime stare scientiae Dei certitudinem cum contingentia rerum. Patet etiam ratione naturali quia divinus intellectus falli non potest, ergo quicquid cognoscitur infallibiliter evenit, ergo eo ipso quod sit praescitum a Deo tamquam futurum infallibiliter eveniet, sed effectus praedestinationis est praecognitus a Deo, ergo infallibiliter eveniet, igitur praedestinatio est certa certitudine praescientiae sive ex praescientia.

Secunda conclusio: praedestinatio est certa ex praedefinitione et voluntate Dei, quod est idem ac esse certam in causando. Quam conclusionem tamquam de fide ostendit AUG(USTINUS) DE CORREPTIONE ET GRATIA c. ex illis verbis PAUL(I) ad ROM. 8: *scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, nam quos pra-*

scivit et praedestinavit etc; et ex illis verbis 2 ad THIM. 2: *firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, cognovit Dominus qui sunt eius*; et lib. DE BONO PERSEVERANTIAE c. 8 ex illis verbis 1 IOAN. 2: *non erant ex nobis quia si ex nobis fuissent mansissent utique nobiscum*. Deinde ratione probatur quia non est minoris potentiae voluntas Dei quam sit certitudo suae scientiae, imo ex eo quod aliquid fieret ex divino decreto et efficaci voluntate ideo cognitum est a Deo futurum, ergo sicut scientia Dei non potest non esse certa in representando rem ita praedefinitio et divina voluntas non possunt non esse certae in causando eandem rem, imo a priori sequitur quod si divina praedestinatio non esset certa, scientia visionis quae supponit rem futuram certa non esset.

Dices tamen quod posita praedefinitione Dei tam de gloria nostra quam de actibus nostris manet libera nostra voluntas, ergo possumus operari et non operari atque adeo fallibilem reddere praedestinationem et incertam. Tum etiam quia in potestate praedestinati est decedere in peccato et non efficere efficax auxilium Dei, ergo in eius potestate est tollere praedestinationis certitudinem. Respondetur ad haec et similia argumenta quae fiunt, in quibus concluditur aliquid contra certitudinem praedestinationis, respondetur, inquam, omne quod inferunt esse possibile in sensu diviso non tamen in sensu composito, supposito scilicet quod quis sit praedestinatus, nam praedestinatione supposita supponitur etiam hominem decessurum in gratia et illi non esse repugnaturum atque adeo futurum esse efficax auxilium a Deo praedestinatum, et quod dicimus de praedestinatione similiter de [68v] reprobatione intelligendum est, in qua eadem est difficultas.

Ex his omnibus sequitur quod iste propositiones: praedestinatus potest damnari, potest non esse praedestinatus, potest esse reprobus et istae similes: reprobus potest non esse reprobus, potest salvari aut potest non damnari concedendae sunt et negandae sub distinctione: absolute scilicet et in sensu diviso sunt verae sed in sensu composito sunt falsae. Ita docet D. TH. in hoc articulo et DE VERITATE q. 6 a. 3 et QUODLIBETO 11 a. 3. Et fatentur theologi cum MAGISTRO in 1 d. 40 et in eodem sensu dicunt esse concedendas has propositiones: praedestinatus necessario salvabitur et reprobus necessario damnabitur. Sunt quidem verae in sensu composito, falsae tamen in diviso et ideo absolute sunt falsae. Unde sequitur falsam esse sententiam CATHARINI lib. 3 DE PRAEDESTINATIONE c. ultimo

asserentis has propositiones: praedestinatus necessario salvabitur et praedestinatus non potest damnari, absolute esse veras et illis oppositas falsas et ne quis existimaret se loqui ex suppositione quod homo sit praedestinatus et in sensu composito asserit lib. 1 quod praedestinatum salvari non est necessarium ex suppositione sed simpliciter et absolute, quae sententia plane falsa est et ex ea aperte sequitur nullo modo esse in potestate praedestinati damnari et eius voluntatem non manere liberam, quod quantum sit inconveniens facile constat.

Articulus 7. Utrum numerus praedestinatorum sit certus

Conclusio prima est affirmativa.

Secunda conclusio non est certus numerus reprobatorum sicut praedestinatorum.

QUAESTIO. AN NUMERUS PRAEDESTINATORUM SIT CERTUS FORMALITER ET MATERIALITER.

Numerum praedestinatorum esse certum formaliter est certo cognoscere quot sunt salvandi, esse autem certum materialiter est certo cognoscere qui salvandi sunt.

In hac quaestione GREGO(RIUS) in 1 d. 40 q. unica a. 3, DRIEDO DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII p. 2, BONAV(ENTURA) in 1 d. 40 a. 2 q. 2 in solutione ad quoddam argumentum existimant posse augeri et minui numerum praedestinatorum [69r] qui modo est. Probant primo quia absolute potest non praedestinatus praedestinari et praedestinatus reprobari, ergo potest maior numerus aut minor quam modo sit. Probatur antecedens quoniam potest quicumque reprobis perseverare per auxilia sufficientia et quicumque praedestinatus in peccato decedere cum sit sibi liberum, ergo. Secundo quia potest Deus plura facere quam fecit, ergo potest plures homines creare quam creavit et illos de novo praedestinare aut reprobare, ergo augetur numerus praedestinatorum aut reprobatorum. Et confirmatur ex D. TH. in corpore articuli dicente quod numerus reprobatorum non est certus sicut praedestinatorum, ergo saltem numerus reprobatorum non est certus formaliter vel materialiter. Confirmatur secundo ex illo Apoc. 3: *tene quod habes ne alius accipiat coronam*

tuam, potest ergo quis coronam gloriae amittere ad quam erat praedestinatus et illam potest aliud recuperare, ergo erit numerus praedestinatorum et reprobatorum incertus saltem formaliter.

Alia est sententia quam tuetur CATARI(NUS) lib. 3 citato DE PRAEDESTINATIONE asserens certum esse numerum praedestinatorum et reprobatorum, non tamen esse certum numerum salvandorum et damnandorum. Constituit enim CATARI(NUS) tres ordines hominum: primum eorum qui praedestinati sunt, cuius ordinis dicit esse Apostolos, beatissimam Virginem, et alios qui necessario salvantur; secundum reprobatorum qui infallibiliter et necessario damnabuntur in quo ordine fuerunt Iudas, Saul et alii; tertium constituit medium eorum quos salvandos appellat, quorum quidam pro sua libertate salvabuntur, quidam vero damnabuntur. Asserit ergo numerum primi et secundi ordinis esse certum in Dei praedefinitione et praescientia, tertium tantum esse certum in praescientia non autem in praedefinitione. Huius rationem reddit quia primi electi sunt ad gloriam ante praevisa opera, secundi efficaciter ab ea exclusi, tertii vero relictii sunt natura sua cum providentia generali supernaturali et ita certum non est quis eorum salvabitur aut damnabitur nisi in praescientia qua visis operibus quidam cognoscuntur perseverare quidam alii in peccato decedere. Hanc sententiam putat CATARI(NUS) Sacrae Scripturae conformem et oppositam eidem Sacrae Scripturae adversari.

His nihilominus non obstantibus oppositum sentiendum est. Unde sit prima conclusio contra primam sententiam: numerus praedestinatorum et reprobatorum est certus Deo formaliter et materialiter, non solum in praescientia sed etiam in praedefinitione et praedestinatione. Ita docet D. TH. a. 7 et est CAI(ETANI) sententia et SCHOLASTICORUM fere omnium cum MAGISTRO. Quam docuit AUG(USTINUS) lib. DE CORRECTIONE ET GRATIA c. 7 et c. 13. Et colligitur ex illo [69v] 2 ad TIM. 2: *novit Dominus qui sunt eius*. Prima pars conclusionis quod numerus sit certus formaliter et materialiter in praescientia probatur quia quaecumque sunt futura eo ipso quod futura sunt a Deo sunt certo cognita eo modo quo sunt futura, ut ex q. 14 a. 13 satis constat, sed quicumque praedestinati sunt futuri in gloria et omnes reprobi excludendi sunt ab ea certissime, cum praedestinatio et reprobatio sint certissimae ut visum est, ergo totus numerus praedestinatorum et reprobatorum est Deo certus formaliter et materialiter. Patet consequentia quia non solum toti sunt futuri sed etiam

hi et illi sunt futuri. Secundo quia si non esset Deo certus numerus praedestinatorum et reprobatorum sequitur quod aliquis salvatur vel damnatur qui non sit cognitus a Deo vel qui non fuerit ab aeterno cognitus aut saltem dubie et incerte fuerit cognitus, quod nullus dicit. Patet sequentia quia certitudini cogitationis nihil potest opponi nisi incertitudo et mutabilitas ex parte scientiae, quarum utraque Deo repugnat sicut repugnat Deum falli aut ignorare, ergo cognoscit Deus certissime qui et quot salvandi sunt et damnandi. Secunda pars conclusionis quod numerus sit certus in electione et praedefinitione praedestinatorum et in reprobatione reprobatorum probatur quia Deus praedefinit et eligit omnes electos in singulari et omnes gradus gratiae et gloriae et opera illorum et cognoscit suam voluntatem efficacem habituram esse effectum infallibiliter quamvis salva nostra libertate, ergo in praedefinitione, electione et reprobatione cognoscit certo omnem numerum praedestinatorum et reprobatorum. Sed de reprobatione specialiter probatur quoniam reprobatio facta est viso iam finali peccato quando reprobatio ex nullo opere nostro futuro dependet, ergo non est unde habeat contingentiam et incertitudinem, ergo in ipsa reprobatione cognoscit Deus quis numerus et qui homines aut angeli damnandi sunt et in praedefinitione cognoscit quot et qui sunt salvandi.

Secunda conclusio contra CATARI(NUM): nullus est homo neque angelus qui non sit praedestinatus aut reprobatus et ita nullus est de quo non sit Deus certus in praedefinitione quod salvabitur et in reprobatione quod damnabitur. Utraque pars conclusionis colligitur ex dictis. Prima ex eo quod probavimus a. 4: omnes qui salvantur fuisse ante opera electos, deinde ex eo quod probavimus a. 5: omnes decedentes in peccato mortali aut originali finali reprobari, quo supposito necessario sequitur secunda pars conclusionis quod numerus praedestinatorum et reprobatorum sit certus, quia omnes exclusi a regno et omnes admissi voluntate efficaci sunt cogniti a Deo certo in sua praedefinitione, ut etiam vult CATARI(NUS), sed omnes voluntate efficaci [70r] sunt exclusi vel admissi, quia omnes sunt reprobi aut praedestinati, ergo omnes sunt a Deo certo cogniti.

Hanc CATARI(NI) sententiam multi ut erroneam reiiciunt eo quod asserat aliquos esse nec praedestinos nec reprobos contra Sacram Scripturam expresam, sed mihi videtur in hoc nihil haberi novum nisi modum loquendi, cum ipse asserat quosdam esse praedestinos, id est, electos ante opera praevisa in quo convenit no-

biscum; secundo asserit alios esse reprobos, id est, exclusos ante opera praevisa in quo convenit cum sententia D. TH. et aliorum; tertio asserit alios esse neque reprobos neque praedestinos, id est, non electos neque exclusos a gloria ante opera praevisa, sed horum quosdam esse efficaciter exclusos visis iam peccatis finalibus eorum, in quo etiam nobiscum convenit, alios vero post visam perseverantiam esse efficaciter assumptos ad gloriam, in quo convenit CATARINUS cum multis doctoribus modernis catholicis, quamvis minus probabile sit. Illud tantum reprehensione dignum est in CATARINO, quod asserat reprobos necessario damnari et praedestinos necessario salvari necessitate absoluta, quod supra probavimus esse falsum.

Tertia conclusio: numerus praedestinatorum nec potest minui nec augeri. Haec conclusio est D. TH. et AUG(USTINI) locis citatis. Et probatur ratione quia si numerus praedestinatorum posset augeri sequeretur quod aliquis qui non erat praedestinus posset praedestinari, sed omnis non praedestinus erat reprobus ut visum est, ergo qui erat reprobus ab aeterno esset modo praedestinus, hoc autem contingere non potest sine mutatione voluntatis Dei, quam omnino mutari repugnat, ergo impossibile est numerum praedestinatorum augeri. Eodem argumento probari potest quod numerus praedestinatorum non possit minui et eodem similiter probatur quod numerus reproborum neque augeri neque minui possit.

Quarta conclusio: Deus ab aeterno potuit plures praedestinare quam praedestinavit et reprobare plures quam reprobavit, imo potuit omnes eligere ad gloriam aut omnes damnare ad paenam. Neque haec sententia est contra ANSELMUM qui lib. 1 CUR DEUS HOMO c. 16 non asserit, ut quidam putant, Deum non potuisse plures praedestinare, quod intelligendum est non quidem simpliciter sed in ordine ad finem intentum a Deo. Haec conclusio plana est, quia libere sunt a Deo praedestinati hi et non plures, illi enim subiacet cum voluerit posse, ut dicitur SAP. 12, ergo potuit plures homines praedestinare, sed solum asseruit non decuisse plures praedestinare aut reprobare quam praedestinavit et re [70v] probavit. Ex his sequitur quod non possunt modo plures praedestinari et reprobari quam sint praedestinati et reprobi supposita praedestinatione quae facta est ab aeterno simul cum aliorum reprobatione, ut etiam sentit D. TH. DE VERITATE q. 2 a. 5 ad 5 et q. 6 a. 4 ad 8. Idem docet de praescientia 1 p. q. 14 a. 15 ad 2 quod non potest in sensu composito plura praescire Deus quam scit, cuius oppositum inmerito docuit

BONAV(ENTURA) in 1 d. 39 a. 1 q. 3 ad ultimum. Patet hoc quia numerus non potest esse maior, ergo non possunt plures praedestinari nec potest esse numerus minor ut visum est, ergo nec possunt praedestinari pauciores aut plures reprobari.

Ad primum argumentum respondetur quod in sensu diviso potest praedestinatus non esse praedestinatus, non tamen in sensu composito, unde quamvis in sensu diviso possit esse maior numerus non tamen potest in sensu composito.

Ad secundum concedo antecedens et nego consequentiam, quia cum creatio sit actio transiens quae recipitur in re facta non repugnat plura creari, at vero praedestinatio et reprobatio sunt actiones immanentes et in Deo nostro modo intelligendi ut in subiecto et quia repugnat Deum aliquid recipere de novo repugnat de novo praedestinare aut reprobare. Ad confirmationem respondetur cum D TH. ibidem quod numerus reproborum non est certus sicut numerus praedestinatorum, non quia non sit certus formaliter et materialiter, sed quia non est primo et per se intentus sicut est intentus numerus praedestinatorum, quoniam tot reprobavit Deus homines et angelos quot sufficebant ad ostensionem divitiarum gloriae suae circa praedestinos iuxta illud PAUL(I) ad ROM. 9: *sustinuit in multa patientia etc.* et hoc est quod ait AUG(USTINUS): omnis malus ideo vivit ut convertatur aut per illum bonus excerceatur vel dicendum est non esse eodem modo certum quia numerus praedestinatorum est certus scientia approbationis, numerus verum reproborum minime, sic enim intelliguntur illa verba supra citata *amen dico vobis nescio vos*, scientia scilicet practica quae coniuncta est cum electione et approbatione ad gloriam. Sic etiam intelligitur illud 2 ad TIM. 2: *novit Dominus qui sunt eius.*

Ad locum ex APOCAL. respondetur illa verba dicta esse ad ostendendam libertatem nostram a qua pendet effectus praedestinationis, non autem ad ostendendum incertitudinem praedestinationis vel dicendum est cum D. TH. loco citato quod duobus modis dicitur esse corona alicuius: uno modo ratione praedestinationis et sic nullus potest amittere suam coronam, alio modo ratione meriti aut gratiae praesentis et hoc modo potest quis coronam sibi debitam amittere iuxta illud IOB 34: *conteret multos [71r] et stare faciet alios pro eis*; sic enim in loco iudeorum substituti sunt gentiles et loco angelorum qui corruerunt substituti sunt homines quantum ad

statum gratiae. Locus autem ille 2 PET. 1: *magis satagite etc* iam supra explicatus est.

QUAESTIO 2. AN SIT MAIOR MULTITUDO PRAEDESTINATORUM QUAM REPROBORUM.

Potest esse primo difficultas facta collatione inter omnes gentes, secundo inter Ecclesiam et Synagogam, tertio inter fideles ipsos inter se, quarto inter homines et angelos, de quibus omnibus quae ex Sanctis Patribus et Sacra Scriptura colligi possunt breviter referemus.

Prima conclusio sit loquendo de omnibus gentibus et nationibus: pauciores sunt praedestinati quam reprobi. Ita habetur de fide MATH. 7: *arcta est via quae ducit ad vitam et pauci intrant per eam* etc; et in parabolam de seminante in omne genus terrae LUCAE 8, ubi quarta solum seminis pars cecidit in terram bonam; idem significatur ISAIÆ 17 et 24 s. et MATH. 7 per paucitatem racemorum et spicarum quae colliguntur post vindemiam et messem, et in illis pauci qui salvi facti sunt in arca Noe, et in duobus tantum qui ingressi sunt terram promissionis ex tot millibus; et 4 ESDRAE c. 8 ubi dicitur quod sicut ex terra fiunt p'ura vasa fictilia, pauca tamen aurea, sic multi creantur, pauci tamen salvantur, et hoc est quod significat PAUL(US) 1 COR. 4 in illis verbis: *multi quidem currunt sed unus accipit bravium*. Huius veritatis ea ratio assignari potest quia multo maior est pars gentilium quam fidelium.

Secunda conclusio: plures sunt praedestinati ex Ecclesia quam ex Synagoga. Ita significatum ISAIÆ 4 c. in illis verbis: *multae filiae desentae*, id est, gentilitatis magis quam habentis virum, id est, Synagoga; et APOC. 7 postquam numerata sunt centum quadraginta quattuormillia signatorum, id est, praedestinatorum inquit IOAN. se vidisse turbam magnam quam dinumerare nemo poterat. Et huius veritatis potest haec ratio assignari quia multo abundantior est gratia in Ecclesia christiana, quae confertur per sacramenta Christi, quam fuerit in Synagoga data sub veteribus sacramentis et multo plures sunt fideles modo quam fuerint in Synagoga, ergo plures sunt praedestinati ex Ecclesia.

Tertia conclusio: quamvis dubia res sit, dicendum est cum Sanctis pauciores fideles esse praedestinos quam reprobos. Sic sentiunt GREGO(RIUS) homilia 19 SUPER EVANGELIA in illa verba

MATH. 20: *pauci sunt electi*, ubi ait quod multi fidem accipiunt, pauci vero [71v] regnum; CHRISOST(OMUS) homilia 63 IN 2 CAPUT MATH. in illa verba: *multi sunt vocati* sic ait: videtur autem mihi hic sermo iudeos tangere ac eos qui ex fidelibus virtute coruscarent deinde negligentia defecti sunt ad profundum, et illos rursus qui in nequitia recipientes ad anteriora concurrerunt et homilia 4 ad populum asserit: ex mille fidelibus vix centum salvari, AUG(USTINUS) lib. 9 CONTRA CRESCONIUM c. 33 ubi reprobos comparat paleis, praedestinatis autem comparat granis quae paleis sunt longe pauciora. Id etiam docet D. TH. ad 3 dum ait pauciores esse qui salvantur quam qui damnantur, in quo maxime apparet Dei misericordia quod plures erigit in eam salutem a qua plurimi deficiunt. Docuit quoque CAI(ETANUS) c. 17 IN LUCAM cum explicat parabolam de decem virginibus.

Obiicit tamen quis parabolam illam MATH. 22 de invitatis ad nuptias, inter quos omnes unus tantum est inventus sine veste nuptiali et missus in exteriores tenebras. Sed respondetur quod in illa parabola non significat Christum numerum damnandorum comparatione eorum qui salvi fiunt sed significat neque unum fidelem intraturum esse regnum caelestis sine veste nuptiali, hoc est, sine charitate, quamvis HIERONI(MUS) in eum locum doceat significari per invitatos numerum fidelium, nomine autem non habentis vestem significari totam multitudinem damnandorum qui, cum aequales sint, unius nomine significantur et idem docent ANSEL(MUS) et ORI(GENES) ibidem.

Quarta conclusio sit: maior est numerus angelorum qui salvantur et sunt praedestinati quam eorum qui damnantur, in hominibus vero contra maior est numerus eorum qui damnantur quam qui salvantur. Et quantum ad primum de angelis concedunt theologo cum D. TH. p. q. 63 a. 9 et ALEX(ANDRO) q. 110 memb. 4 et significatur 4 REGUM 6 illis verbis: *plures sunt nobiscum*; et APOC. 12: *traxit tertiam partem stellarum* quod docet etiam CIRILUS lib. 1 in GENESIM. Et ratio est quia peccatum est contra naturam et inclinationem naturalem, ea autem quae sunt contra naturam contingunt ut in paucioribus, ergo. Tum etiam quia angelus fuit absque appetituum contrarietate, quae in hominibus est maiori ex parte causa peccandi, ergo credendum est plures fuisse angelos qui non peccaverunt et quia homo saepe vincitur tentationibus internis fomite in eas inclinante et in illud quod rationi adversatur inde fit ut plu-

res homines in peccatis decedant et damnentur quam salventur. Ratio enim illa quod natura deficit in paucioribus de natura sana et integra verum est, cum quo stat quod natura laesa, cuius infirmitas non totaliter sanata est per gratiam manenti [72r] bus pluribus penalitatibus ad agonem in pluribus deficiat.

Articulus 8. Utrum praedestinatio possit iuvari praecibus sanctorum

Prima conclusio: si praedestinatio accipiatur pro praedestinatione divina non potest iuvari precibus Sanctorum, si autem accipiatur pro effectibus iuvari potest sanctorum orationibus.

QUAESTIO. UTRUM PRAEDESTINATIO POSSIT IUVARI PRECIBUS SANCTORUM

In hac quaestione duo videntur incerta: alterum est quod si praedestinatio accipiatur pro actu ordinationis in intellectu divino existentis nullo modo potest iuvari precibus sanctorum. Sic S. TH. hic et in 1 d. 41 q. 1 a. 4 et DE VERITATE q. 6 a. 6, cuius ratio est quia iuvare non est aliud quam impetrare aut mereri alterius praedestinationem, sed nulla opera creaturae potuerunt impetrare praedestinationem sumptam pro ordinatione, cum electio et praedestinatio facta fuerint ab aeterno ante omnium operum futurorum visionem, ergo. Difficultas ergo tantum est de praedestinatione accepta pro effectibus, circa quod etiam secundo certum est orationes Sanctorum posse iuvare alterius praedestinationem ex parte alicuius effectus, cuius ratio est quia unus effectus praedestinationis potest esse causa alterius, ergo possunt preces sanctorum esse causa alicuius effectus praedestinationis alterius, praesertim cum unus possit alteri mereri primam gratiam de congruo.

Docuit hoc GREGO(RIUS) 1 DIALOGORUM c. 8 quod ostendit exemplum Abrahamae cui facta fuerat promissio multiplicandi illius semen quod praedestinatum erat per Isaac ut dicitur GENE. 21 in illis verbis: *in Isaac vocabitur tibi semen* et tamen Isaac orationibus impetravit a Deo ut Rebeca sterilis pareret; idem docuit ANG(USTINUS) lib. 1 DE BONO PERSEVERANTIAE c. 22 dicens: si qui sunt nondum vocati pro eis ut vocentur oremus; docuit D. TH. in hoc articulo et 2-2 q. 83 dicens quod divina providentia non tantum disponit

qui effectus fiant sed per quas causas fiant et quia actus humani possunt esse causae disposuit aliquos effectus per actus humanos, scilicet, per orationes et preces; unde saepe nobis praecipit orare PAUL(US) 1 THESSAL. 5 *sine intermissione orate*, et LUCAE 18: *oportet orare et non deficere*, et MATH. 7: *petite dabitur vobis, quaerite et invenietis*. Tertio certum est quod Christus Dominus meruit nobis totam collectionem effectuum praedestinationis quia ut supra vidimus nos sumus praedestinati et electi ex meritis Christi, ergo quidquid est effectus praedestinationis nostrae est effectus meritorum Christi, quae omnia satis constant supposito quod Christus fuit praedestinator ante originale visum et ante electionem praedestinatorum. Tota difficultas consistit [72v] in hoc: an aliquis purus homo aut angelus possit esse causa meritoria vel impetratoria omnium effectuum praedestinationis alterius.

Quidam THOMISTAE putant ut preces unius sancti sit causa meritoria omnium effectuum praedestinationis alterius; quod probant quia Christus non aliter est causa omnium effectuum praedestinationis nostrae nisi quia meruit primam vocationem et iustificationem in quibus ut in radice coeteri effectus continentur, sed potest unus homo alteri mereri primam vocationem et iustificationem saltem de congruo, ergo potest mereri omnes effectus praedestinationis alterius.

Sed nihilominus sit conclusio: nullus homo potest alteri mereri omnes effectus praedestinationis tam intrinsecos quam extrinsecos. Probatur haec conclusio quia merita et preces, per quae quis meretur aut impetrat alteri omnes effectus praedestinationis, sunt effectus praedestinationis illius cui impetrat aut meretur, quoniam ab aeterno ordinavit Deus dare illi homini gloriam per preces alterius, sed non potest quis mereri suas preces aut merita, ergo non potest alteri mereri omnes effectus praedestinationis etiam extrinsecos.

Secunda conclusio: optime potest quis alteri mereri omnes effectus intrinsecos praedestinationis. Sic communiter sentiunt doctores et expresse DUR(ANDUS) in 1 d. 41 q. 3 et est certissimum quia sic creditur Stephanum meruisse Paulo omnes effectus suae praedestinationis. Tum etiam quia potest quis mereri alteri suam vocationem quae est primus effectus, sed in illa continentur coeteri effectus, ergo potest mereri omnes effectus intrinsecos praedestinationis alterius.

Unde ad argumentum respondetur longe aliam esse rationem de Christo atque de aliis hominibus quia neque Christus neque eius merita sunt effectus nostrae praedestinationis et ideo preces Christi et merita tamquam aliquid existens extra totam latitudinem effectuum praedestinationis hominis possunt mereri omnes effectus, preces tamen unius hominis per quas alteri meretur sunt intra latitudinem effectuum praedestinationis alterius et ideo non potest purus homo omnes effectus extrinsecos et intrinsecos mereri quia non potest mereri suas preces aut merita. Si autem quaeras alterius reprobationem mereri aut demereri respondetur quod nullus potest ita mereri ut sit causa proxima reprobationis alterius quoniam haec causa proxima debet esse peccatum finale proprium eius qui reprobat, potest tamen esse causa remota in quantum potest ad peccatum finale alterum inducere. Si autem quaeras an praedestinatio unius possit per propria aut alterius demerita impediri, respondetur nullo modo posse impediri in sensu composito, supposito scilicet quod ille sit praedestinatus, cuius ratio est quia per praedestinationem praedefinita sunt omnia quae necessaria sunt ad consecutionem gloriae et visa sunt habitura effectum, sed praedestinatio est efficax quae non potest impediri nec aliter possunt res evenire quam sint praedefinitae aut a Deo cognitae, ergo praedestinatio nec propriis demeritis nec alterius potest impediri supposita iam praedestinatione.

Laus Deo.

F I N I S

TABULA

Earum quaestionum, quae circa materiam de praedestinatione hoc volumine continentur. Prima Pars S. Thomae q. 23.

DE PRAEDESTINATIONE

- Articulus 1.* Utrum homines praedestinentur a Deo. Dubium est
 quit sit praedestinatio et an particula illa *prae* dicat
 antecessorem durationis an vero dignitatis. 1
- Quaestio 1 An praedestinatio sit actus intellectus an voluntatis. 2
- Quaestio 2. In quibus actibus intellectus et voluntatis consistat
 praedestinatio. 3
- Quaestio 3. An praedestinatio sit pars providentiae. 5
- Quaestio 4. An possit aliquis esse certus de sua praedestinatione. 6
- Articulus 2.* Utrum praedestinatio ponat aliquid in praedes inato. 7
- Quaestio 1. An vocatio sit effectus praedestinationis. 7
- Quaestio 2. An iustificatio et gratia iustificans sint effectus praedest-
 inationis. 8
- Quaestio 3. An glorificatio sit effectus praedestinationis. 9
- Quaestio 4. An bona naturalia sint effectus praedestinationis. 10
- Quaestio 5. An mala omnia sint effectus praedestinationis in praed-
 destinatis. 11
- Articulus 3.* Utrum Deus aliquem hominem reprobet. 12
- Quaestio 1. An certum sit aliquot homines reprobari a Deo an vero
 omnes sint praedestinati. 12
- Quaestio 2. An reprobatio sit actus intellectus an voluntatis. 13
- Quaestio 3. In quibus actibus intellectus et voluntatis consistat
 reprobatio. 14

- Quaestio 4. Qui sint effectus reprobationis. 15
- Quaestio 5. Utrum peccatum quando est paena alterius peccati sit effectus reprobationis. 17
- Quaestio 6. An excaecatio et obduratio sint effectus reprobationis. 18
- Quaestio 7. Utrum Deus deneget reprobis auxilia necessaria ad salutem. 20
- Quaestio 8. Utrum homini praestet Deus auxilia necessaria ad sui conversionem. 21
- Quaestio 9. Utrum praeter auxilia praevenientia indigeat homo alio auxilio ut actu convertatur. 22
- Quaestio 10. An cum aequali auxilio alter e duobus convertatur altero non converso. 24
- Quaestio 11. An eo malorum possit quis pervenire ut illi denegetur a Deo auxilium sufficiens. 26
- Quaestio 12. An sit aliquod peccatum irremissibile de lege ordinaria in hac vita. 29
- Quaestio 13. An alicui defuerit in hac vita obiectum credendum tanquam medium necessarium ad salutem. 30
- Quaestio 14. Utrum donum perseverantiae omnibus concedatur. 32
- Quaestio 15. Utrum Deus praestet omnibus parvulis auxilium necessarium ad salutem. 32
- Articulus* 4. Utrum praedestinati eligantur a Deo.
- Quaestio 1. An efficax voluntas dandi gloriam praedestinitis fuerit prius ratione in Deo quam electio et scientia visionis operum. 34
- Quaestio 2. An qui non sunt electi ante visionem operum infallibiliter damnentur. 37
- Articulus* 5. An praescientia meritorum sit causa praedestinationis. 39
- Quaestio 1. An praedestinatio nostra facta fuerit ante praevium originale peccatum. 39
- Quaestio 2. An praedestinationis detur aliqua causa ex parte nostra. 41
- Quaestio 3. An Christus Dominus sit causa nostrae praedestinationis. 51

- Quaestio 4. An Deus praedefinierit in particulari certum gradum gloriae et media ad gloriam. 53
- Quaestio 5. An nostra praedestinatio sit in nostra potestate. 58
- Quaestio 6. An ex parte reprobatorum detur causa reprobationis. 59
- Quaestio 7. An praedestinatio et reprobatio supponant praescientiam futurorum. 65
- Quaestio 8. Qualis fuerit ordo signorum in praedestinatione et reprobatione. 66
- Articulus* 6. Utrum praedestinatio sit certa. 67
- Quaestio An praedestinatio habeat certitudinem ex praescientia an vero ex praedefinitione. 67
- Articulus* 7. Utrum numerus praedestinatorum sit certus. 68
- Quaestio 1. An numerus praedestinatorum sit certus formaliter et materialiter. 68
- Quaestio 2. An sit maior multitudo praedestinatorum quam reprobatorum. 71
- Articulus* 8. Utrum praedestinatio possit iuari precibus sanctorum. 72
- Quaestio eadem. Utrum praedestinatio possit iuari precibus sanctorum. 72.
- Finis huius tabulae.